# CONSTAN
# FIDEI CONFE
## DECEN

APOCAL. CAP. III

# PRO LICE

SVMMO

IN THEOLOGIA

OBTINEND

PROPOSITA DISP

AVCTOR

ROMANO TE

S. THEOL. PROFESSORE EX
AD AED. THOM. ECC.

DIE XXVI. AVG. A. S. R.

LIPSIA
EX OFFICINA LANGE

# TANTIA
# NFESSORES
CENS
AP. III. VER. XI.

# CENTIA
MMOS
GIA HONORES
NENDI
A DISPVTATIO
CTORE
TELLERO
ORE EXTRAORD. ATQVE
M. ECCLESIASTE.

A. S. R. MDCCXXXIX.

PSIAE
LANGENHEMIANA.

## PHOTIVS
## EPIST. CXLI.

Γενναιων οντως ἀνδρων το ϛαδιον δειται· μηδεις εισιτω θηλυδριας· αν δ εισεπηδησε, θαττον αποϛητο· η της γνωμης, η των παλαισματων. Ου γαρ των τοιουτων οι πονοι. Αλλα μηδ ο χρυσω τον βιον βεβαρημενος· μηδ ο προς κενας δοξας ανεπτερωμενος. Τον γαρ προς τας του σωματος ηδονας επτοημενον, ουδ αποδυσασθαι προς τον αγωνα νομιζω. Αλλα δε ευχομαι πορρω καθεϛαναι, ει μη προλαβων επληρωσεν εκεινος την ευχην.

## EX VERSIONE
## RICHARDI MONTACVTII.

Generoſos plane ſtadium exſpectat. Nemo foeminea teneritudine emollitus, introeat. Quod ſi quis ſit, qui exilierit, recedat quantocyus; vel a ſua ſententia, vel a colluctatione. Neque enim labores talibus congruunt. Sed neque auro onuſtis, nec ambitione inflatis. Omnino qui corporeis voluptatibus inhiat, vt mihi ſtat ſententia, ne ſe componat ad certamen: velim ego longe remoueri, ſi non praeueniat is, et impleat votum meum.

INCLYTAE

REIPVBLICAE LIPSIENSIS

# SENATVI

# MAGNIFICO

D. D. D.

# VIRI
## ILLVSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI, PRVDENTISSIMI,

## DOMINI ET PATRONI PERPETVA RELIGIONE COLENDI.

*Non heri, aut nudius tertius obortam, ſed ingenitam mihi eſſe deſiderationem, merita, quae VOS ornant, innumerabilia atque eximia, ſumma animi conſtantia ſummaque vene-*

*ratione ſuſpiciendi, vti alias quam ſaepiſſime, ita in praeſenti iterum iterumque cum voluptate intelligo: dum noua mihi, id declarandi, et quam fidem VOBIS praebere, quod obſequium praeſtare me deceat, aperte atque ingenue confitendi, offertur occaſio.* VESTRA *munificentia Maiores aluit, auxit, adiuuit meos.* VESTRAE, *quae in me plane ſingularis eſt, beneuolentiae debeo, quod poſito ſtudii ſancti tirocinio, variis ſubinde muneribus ſacris admotus, euocatus alio, denuo in dulcem Patriam arceſſitus, nouis ibi honorum incrementis, innumeris denique beneficiis, iisque eius generis fuerim cumulatus, quibus grauiter atque ex merito praedicandis imparem me prorſus profiteor. Tot tantisque propenſiſſimi erga me adfectus* VESTRI *teſtificationibus deuinctus, facile a me impetrare potui, vt conſtans ſeruarem conſilium, quauis oblata temporis opportunitate, qualemcunque*

*gra-*

*gratae mentis suspendendi tabulam, molaque litandi salsa, quum hecatombis non detur. De constantia, id, quod constitutum est, certo certius exsequendi, haec quidem* VALERII MAXIMI *est sententia:* natura comparatum est, vt, quisquis se aliquid ordine ac recte mente complexum confidit, vel iam gestum acriter tueatur, vel nondum editum, si interpelletur, sine vlla cunctatione ad effectum producat. *Nihil itaque moror, interpellante licet muneris leuitate, hanc, de* constantia fidei confessores decente, *scriptionem Academicam, SVMMIS NOMINIBVS VESTRIS pia mente offerre. Supplex simul veneror Summum propitiumque Numen, constantiae omnis statorem et conseruatorem potentissimum, vt incolumitati VESTRAE, VESTRORVMQVE consiliorum prudentissimorum felicissimis successibus, admirabilem perennemque constantiam, id est, standi duran-*

*durandique firmitatem, quam clementissime largiatur. Valete, VESTRAMQVE beneuolentiam porro experiri constanter ne dedignemini*

VIRI

ILLVSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI, ATQVE PRVDENTISSIMI,

PATRONI RELIGIOSE COLENDI,

TANTORVM NOMINVM

OBSERVANTISSIMVM

ROMANVM TELLERVM.



# Q. D. B. V.



Lipsia vult exſpectari. Ita fere conſtans fama ac tantum non omnium ſermone celebrata eſt, et credo expertis. Noli igitur magnopere mirari, VRBEM, etiam ſacrae rei, LVTHERO miniſtro geſtae, moram et tarditatem attuliſſe, vt huic non licuerit, niſi lento gradu, longo interuallo interiecto, eo tandem peruenire. Non minus iucunda, quam triſtis eſt, praeteritorum temporum recordatio; gaudium de praeſentis aetatis flore, mediocre *; deſiderium melioris conditionis aeque ardens, ac iuſtum; ſpes Deo confiſa, certiſſima omnino. Interim ſat cito, ſi ſat bene. Si quid noſtris effici poſſit precibus, poſſe autem plurimum confidimus intrepidi, id in votis habemus vnice, vt, quod tarditate peccatum fuit, nunc ſinceritate emen-

* Gaudere decet, laetari non decet. CICERO *Tuſc. quaeſt.* IV 6. *quum ratione animus mouetur placide et conſtanter, tum illud* GAVDIVM *dicitur: quum autem inaniter et effuſe animus exſultat, tum illa* LAETITIA *geſtiens vel nimia dici poteſt.*

emendetur, atque adeo probum et saluum constantia perficiatur.

Incitandi sunt animi cohortatione, ne languori desidiaeque se dedant. Praeit voce nobis summus Imperans, interprete IOANNE suo

APOCALYPS. CAP. III. VERSV XI.

## ΙΔΟΥ ΕΡΧΟΜΑΙ ΤΑΧΥ ΚΡΑΤΕΙ Ο ΕΧΕΙϹ ΙΝΑ ΜΗΔΕΙϹ ΛΑΒῌ ΤΟΝ ϹΤΕΦΑΝΟΝ ϹΟΥ

*Verborum* quae sit potestas, videamus primum. Deinde *rem*, nobis commendatam, explanate definiamus *.

SECTIO

* Nec mei instituti fert ratio, nec necessitas postulat, vt diuinam vniuersae huius patefactionis originem pariter, ac IOANNIS APOSTOLI in ea litteris mandanda operam vere praestitam, argumentis demonstrem. Nostra quidem aetate vtrumque est extra omnem dubitationem positum, quandoquidem viri doctrina praestantissimi suam in id contulerunt industriam, inter eos haud infimus LEONARDVS TWELSIVS in *vindiciis Apocalypseos*, quas in suas *curas philol. et criticas* inseruit S. V. IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, Hamburgi litterati ornamentum, nunc eheu! desideratum. Est omnino ab vltima antiquitate repetenda libri existimatio ac dignitas, quae eo vsque creuit, vt *Concil. Tolet.* IV. canone XVII. fuerit sancitum: *Apocalypsin librum, multorum Conciliorum auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis Euangelistae esse perscribunt, et inter diuinos libros recipiendum. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a Pascha vsque ad Pentecosten missarum tempore in ecclesia non praedicauerit, excommunicationis sententiam habebit.* Itaque lectum fuisse in conuentibus sacris hoc vaticiniorum volumen, abunde constat; intellectum, non item. Obscuritatem dictorum, quae hoc scripto continentur, nemo non fatetur magnam; minorem tamen fore arbitramur, si plus veritatis studio, quam suae opinionis amori, darent quilibet. Et profecto quarumdam libri partium sensus non ita in occulto latet. Me non deterret a proposito, quam IOS. SCALIGER dixit, sententia, *non posse, nisi duo tantum capita XIII. et XIV. intelligi.* Vid. *Scaligeriana* II. p. 14.

# SECTIO PRIOR.

## §. I.

Optimos quosque interpretes, statim in limine haerere video. Auctorem verborum, ita graui ac maiestatis plena oratione praecipientem, sine mora agnoscunt omnes. CHRISTVM palam ostendunt praedicata, ex versu VII. et VIII. huc repetenda, quae vniuersa et singula cum hoc, ΕΡΧΟΜΑΙ, propinqua cognatione coniuncta esse, ex dicendis elucebit. Is autem, ad quem sermo dirigitur, PHILADELPHIAE christianae minister, acerrimorum ingeniorum multum exercuit industriam. Etenim de *septem ecclesiis*, per Lydianam Asiae partem dispersis, in quarum numero illa eminet, anceps agitatur controuersia. Sub iudice lis est: an, praeter sensum *historicum* et *moralem*, quem vtrumque nemo cum ratione in discrimen vocat, *mysticus* forsitan aliquis, isque *propheticus*, statuendus sit? Inesse his in rebus προφητειαν, etiam proprie ita dictam, tam certum est, quam quod certissimum. Vbique de futuris praedicitur euentibus. At de eo iam disceptatur: vtrum *septem ecclesiae*, nominatim salutatae, earumque et *proprietates* et *fata*, imaginem nobis sistant totius coetus christiani, ad postremam vsque aetatem, per tot discrimina rerum, *septem periodis* distincti? Adfirmant multi, ac vel maxime principes in erudita ciuitate. Hanc ornauit sententiam, in hac propugnanda nihil, quod ad rem pertinet, praetermisit CAMPEGIVS VITRINGA* non minore doctrinae copia, quam modestia, rem suam agens. Et plane non dubitat ANTONIVS DRIESSEN ** adseuerare: *Ecclesiam, quae Philadelphiae est, emblema exhibere ecclesiae, post Reformationis tempora a sordibus suis repurgatae, eruditionis solidioris et pietatis*



* in *Anacr. Apocal. pag.* 28. sqq.

** in *meditatt. in Apocal. pag.* 150.

*tatis infucatae nitore splendentis.* Mearum vero partium non est, tantas componere lites. Nihil ego hic inuenio euidens firmumque, vbi pedem figam. Imo suspectum mihi fit, quod necesse habet fateri laudatus, etsi maxima laude maior, VITRINGA *: *demonstrationem septem periodorum, ex historia institui non posse; etiamsi enim varias iam obseruauerimus status ecclesiae mutationes, tamen ex praeteritis nihil colligere possumus certi de futuris: ad prophetias igitur recurrendum esse, inter quas nulla clarior ipsa reuelatione Apocalyptica.* An non hoc sit, petitionem principii, quod aiunt, committere, et obscurum per aeque obscurum explicare velle? iudicent me doctiores. In tutiori insistam via, *sensum moralem* percipiens, adeo manifestum, vt a nemine in dubitationem adducatur. Hi animorum characteres, hae virtutum vitiorumque descriptiones, haec imperata et promissa, ad vniuersum pertinent gregem Christo addictum. Datum hoc est caeteris, vt in aliorum vitas moresque tamquam in speculum inspiciant, et, quod vni dictum fuerit, id sibi dictum putent omnes. Eo consilio, epistolis hisce singularibus, ad vnum alterumue scriptis, commune istud subiungitur admonitum: ο εχων ȣς, ακȣσατω τι το πνευμα λεγει ταις εκκλησιαις. Et non longe ab initio libri, salutem Vates dicit lecturis, cuiuscunque sint ordinis ac dignitatis, vbicunque terrarum commorentur, absque vllo temporum discrimine: μακαριος ο αναγινωσκων και οι ακȣοντες τȣς λογȣς της προφητειας, και τηρȣντες τα εν αυτη γεγραμμενα.

## §. II.

In ipsa verborum sententia primum est, ΙΔΟΥ. Quod quidem profanis Scriptoribus non prorsus insusitatum** nusquam

* *loc. cit. pag.* 45.

** SVIDAS hunc in modum exponit: ΙΔΟΥ, αντι τȣ λαβε, κρατει. Eius exemplum aliquod praebere haec mihi videtur loquutio, LVCAE cap. XIX. versu 20: ιδου, η μνα σου, quod alibi

nusquam tamen frequentius, quam sacris in litteris, ac vel maxime in *vaticiniis*, occurrere, adeo manifestum cernimus, vt nullum fere sit dubium, quin illa vocula hebraeis הן et הנה respondeat. Hoc autem vtrumque vsu venit 1) in adseueratione de *futuris* rebus, atque ita Vatum consuetudine semper accipitur; 2) in demonstratione *praesentis* caussae, quae iam ante oculos obuersatur, cuius notionis exempla in sanctis historiarum monumentis sunt propemodum innumerabilia; 3) in commendatione *virtutis*, e. g. Psal. CXXXV. v. 1; nec non 4) in adnunciatione *periculi* subterfugiendi propulsandique, Genes. VI. v. 17. alibi saepius. Eadem igitur ratione, graecum ΙΔΟΥ, in paginis N. F. vsurpatur, primum de praenuncia euentuum *exspectandorum* voce, Matth. cap. I. v. 23. et ita plerumque; rursus de contemplatione *praesentis* negotii, Luc. cap. XXII. v. 38; deinde de imperatis *faciendis*, Luc. cap. XXII. v. 10. coll. v. 9. Ioan. cap. XIX. v. 26. 27; denique de instante aut certe iam appropinquante *fato*, circumspectione magna et adcurata consideratione auertendo, Matth. cap. X. versu 16. Act. c. V. v. 9. Vniuersas hasce quatuor significationes, ad hunc sermonem CHRISTI, in quem cogitationem meam confero, optime adcommodatas arbitror; nam in integram potius propositionem, quam in partem eius tantum, ερχομαι ταχυ, istud ΙΔΟΥ intueri nos iubet. Non continuo, si hoc adseritur, plures admittuntur vocabuli sensus. Manet vna notio, ea vero paullo generalior, quae ambitu suo varias complectitur species. Adhibenda *attentio* est. Attentio, inquam, animi 1) ad *futuros euentus*, ερχομαι ταχυ, 2) ad *praesentiam*



alibi dicitur, MATTH. cap. XXV. versu 25: ιδε, εχεις το σον. Verum tamen ad oraculum nunc explanandum, id minime aptatum foret, siquidem hic loci non de accipienda aut recipienda re, quae alterius *arbitrio* ac potestati relicta est, sed de ea, quam *officii* postulat ratio, intentione animi ad permanendum in possessione agitur.

*boni*, quod manu tenes, ο εχεις, 3) ad *officium* praeſtandum, κρατει, 4) ad *mala prouidenda* et praecauenda, ινα μηδεις λαβη τον ςεφανον σε.

§. III.

Poſtea igitur, quam animaduertere iuſſit hominem, ſuum ipſi indicat conſilium Dominus: ΕΡΧΟΜΑΙ. De aduentu ad *iudicium* exercendum ſermonem eſſe, in ea cauſſa dubitatio nulla eſt. Hoc autem iudicium quum ſit ſiue commune, et vt ita dicam, *vniuerſale*, ſiue proprium quorumdam adeoque *particulare*; hinc in diuerſum abeunt explanatores. Qui exitium terrae Iudaicae euerſionemque reipublicae ſignificari perhibent, hi nihil equidem dicunt a phraſi ſacra alienum; nituntur tamen lubrica, ſi non aperte falſa, υποθεσει de tempore, quo litteris conſignata fuit haec diuina patefactio. Demonſtrationis eget adſertio illorum, librum iam ſcriptum exſtitiſſe ante occaſum interitumque exſecratae regionis. De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere. Satis habeo, ſi ex integra verborum cohaerentia veram auctoris ſententiam ſciſcitari poſſim. Iſtud, ΕΡΧΟΜΑΙ, mentem poſcit valde attentam ad fructus laborum ferendos, ινα μηδεις λαβη τον ςεφανον σου. Itaque eam definit horam, qua ſtudium *coronae* obtinendae ſpem non feſelliſſe adparebit. *Coronae* ſigno, perennem notari beatitatem, poſt vltima fata percipiendam, infra declarabitur ſuo loco. Illam beatitudinem conſequitur, quoad partem ſui nobiliorem, animam, homo moriens (Apoc. cap. II. v. 10. γινε πιςος εως ΘΑΝΑΤΟΥ, και δωσω σοι τον ΣΤΕΦΑΝΟΝ της ζωης). Tandem aliquando in vitam reuocatus, totus perfruetur ſorte ſua, omni ex parte beatus (per aliud effatum, 2. ad Timoth. cap. IV. v. 8: ο ΣΤΕΦΑΝΟΣ της δικαιοσυνης, ον αποδωσει μοι ο κυριος εν ΕΚΕΙΝΗι ΤΗι ΗΜΕΡΑι, ecquo autem die? quippe expetendo atque optabili omnibus, quicunque praeſtolantur deſiderantes ΤΗΝ ΕΠΙΦΑΝΕΙΑΝ αυτου).

Ergo

Ergo iam dicens breui, pro auctoritate, ΕΡΧΟΜΑΙ, confirmat eo, aduentum se parare ad iudicium, de hominibus vniuersis ac singulis faciendum. Dignum sane tanta persona pronunciatum! in quam nomina conueniunt tam illustria, ex versu VII. huc repetenda: ὁ ἁγιος, ὁ ἀληθινος, ὁ εχων την κλειδα τȣ Δαβιδ. Res ipsa docet, haec tria inter se differre respectu triplicis officii, quod sibi datum nouit Seruator noster.* Vt enim postremo loco positum, ὁ εχων την κλειδα τȣ ΔΑΒΙΔ, *regiam* eius dignitatem manifeste ostendit **; sic maxime fit probabile, bina, quae antecedunt, eo inter se distare interuallo, vt horum alterum quidem, ὁ ἁγιος, ad *sacerdotium*, alterum vero, ὁ ἀληθινος ad *Prophetae* prouinciam, pertineat. Non est inaudita atque insolens, quam statuo, vocabulorum distinctio. Verbum ἁγιαζω, vt et ἁγιος, de maximo N. F. *Pontifice*, sacra faciente, adhibetur, e. g. IOAN. cap. XVII, 19. ὑπερ αυτων εγω ΑΓΙΑΖΩ ἐμαυτον, id est, interprete IOANNE CHRYSOSTOMO: προσφερω σοι θυσιαν. In primis PAVLLO familiaris est illa dicendi ratio, praesertim in epistola ad Hebraeos, cap. X. v. 10. ΗΓΙΑΣΜΕΝΟΙ εσμεν δια της ΠΡΟΣΦΟΡΑΣ τȣ σωματος τȣ Ιησȣ Χριϛου. Conf. v. 29. cap. XIII. v. 12. Hinc explicate dicitur cap. VII. comm. 26: ὁ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ὁσιος, κα-

[illegible]

χωρισμε-

* Non sum nescius, vtramque adpellationem, ΑΓΙΟΣ και ΑΛΗΘΙΝΟΣ, *generatim* aptam esse tum ad *personam* D. N. I. C. sacrosanctam, tum ad *officium*, quo perfunctus est Mediator, *vniuersum*. Vocatur ipse, ὁ ἀληθινος, etiam propter *diuinitatem* suam, 1. Ioan. V, 20; item ob *munus* ipsi demandatum, Ioan. I. 9. 17. vbi ἡ ἀληθεια opponitur νομῳ, tanquam σκια (conf. Hebr. X. 1.). Quod ad alterum praedicatum attinet, ὁ ἁγιος, id non minus *diuinae personae*, quam toti *officio*, est congruens. Probationis caussa instar omnium prouoco ad verba, Ioan. X. 36. Exploratum tamen habeo, bina haec nomina, ἁγιος και ἀληθινος, Christo imposita, vsu frequentiore, a quo temere recedendum non est, commode ita distingui, vt prius illud, ἁγιος, ad *Sacerdotis*, hoc posterius, ἀληθινος, ad *Doctoris* munus, spectet.

** *Signifying all the power, regimen and soveraign authority, which Christ hath over his Church (whereof the Kingdom of David was a type of resemblance.)* See *a Critical and practical Commentary on the New Testament.*

χωριςμενος (αγιον, primo ac proprio ſuo ſenſu, κεχωρισμενον, ſeparatum, perinde denotare, atque hebraeum קדוש, neminem praeterit.) Nomine altero, αληθινος, fides ſinceritasque *Doctoris ac Prophetae* praedicatur, cuius erat, την οδον τε Θεε εν αληθεια διδασκειν, MATTH. cap. XXII. v. 16. Audiamus ipſum, de ſe loquentem, Apocal. cap. III. v. 14: ο ΜΑΡΤΥC ο πιςος και ΑΛΗΘΙΝΟC, quippe cuius ΛΟΓΟΙ εισι πιςοι και ΑΛΗΘΙΝΟΙ, cap. XXII. v. 26. Ad ſingulas haſce proprietates reſpicit noſtrum, ΕΡΧΟΜΑΙ, vt adpareat 1) *ius* ac poteſtas ſumma, qua praeditus ille veniat iudicatum homines, qui eius parent imperio, vtpote εχων την κλειδα τε ΔΑΒΙΔ, 2) *norma* iuris dicendi, quippe verbum eiusdem, τε ΑΛΗΘΙΝΟΥ, quemadmodum ſcriptum exſtat IOAN. cap. XII. v. 48. ο ΛΟΓΟC ον ελαλησα, εκεινος ΚΡΙΝΕΙ αυτον εν τη εσχατη ημερα. conf. Apocal. cap. II. v. 16: ΕΡΧΟΜΑΙ σοι ταχυ, και πολεμησω μετ' αυτων εν τη ρομφαια του CΤΟΜΑΤΟC με, 3) *actus modusque* iudicii exercendi, vel abſoluendo, vel condemnando, pro eo, ac fides εις τον ΑΓΙΟΝ ſiue adſit ſincera et probata, ſiue minus. Scilicet, ſi vera ſit maneatque tua animi fiducia, meis in promeritis vnice collocata, tum certe nihil tibi metuendum erit mali. Recti ſibi conſcia mens, non omni equidem vacat culpa; attamen ſalua, crede, res erit: εδεν κατακριμα τοις εν Χριςω Ιησε, Rom. VIII. v. 1. Non omnino cauſſa cadet is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Non tua te iuſtum efficient opera. His ego fungar partibus. Meam ſi in te receperis iuſtitiam, omnibusque numeris abſolutam ſanctitatem, ego ΑΓΙΟC αγιασω σε δια του ιδιου αιματος, ad Hebr. cap. XIII. v. 12; propterea non damnatoriam in te dicturus ſententiam. De caetero, nulla nos compellit neceſſitas, vt ſtatuamus in verbo, ΕΡΧΟΜΑΙ, enallagen temporis. Vix ego putauerim, praeſens locum futuri occupare. Lubens primam ac propriam ſignificationem teneo, quoad eius fieri poteſt. Id vero mihi perſuaſum habeo,

non tam *euentum* exſpectandum, quam *decretum* potius voluntatis diuinae, ſemper praeſens nullasque dierum ac noctium viciſſitudines ferens, indicari. De *effectibus* vbi agitur, ibi futurum adhiberi ſolet, e. g. verſu 3: ηξω. At cap. II. v. 5. ερχομαι (hoc *actum conſilii* ſapientiſſimi denotat) και κινησω (en! *effectum* in tempore producendum). Et notatione digniſſima eſt loquutio, ad Hebr. cap. X. v. 37: Ο ερχομενος ηξει, iam *parans* aduentum, tandem tempeſtiue *venturus*, ſe faciet conſpicuum. Ita et hoc loco: ερχομαι, id eſt, *meditor venire*.

## §. IV

Adiunctum, maximi eſt apud nos ponderis: ΤΑΧΥ. Vim vocabuli vt definiam, non diu morabor in ea, quae eſt in vulgus nota, ſignificatione. Obſcurum eſſe poteſt nemini, ταχυ, idem valere, quod latine dicimus, *cito*. Eſt praeter hanc, alia vocis poteſtas. Non ſolum quod *repente* fit, verum etiam quod nobis accidit *inopinatum*, ταχινον experimur. Multum inter ſe differre haec duo, vel me non monente, vnusquisque intelligit. Nam ſi quid tarde, ac pene dixeram ſero, agitur, fieri tamen poteſt, vt ingenio tardo, rerumque ſuarum negligenti, opinione citius veniat voletque obuiam. Rurſus, qui velocitate cogitationum animique celeritate ſibi et ſaluti ſuae bene proſpiciunt, nae illis remotiora mala ſemper obuerſantur tamquam ante oculos, vt nihil ſubito naſci putent. Obſeruatum iam fuit a PETRO RAVANELLO * *cito* fieri, ſtylo ſacro, non tantum ea, quae intra breuiſſimum tempus geruntur; ſed et certo, opportune, atque *inopinato*, etiamſi ſeros poſt annos, euentura. In promtu habeo, quae ad probationem adſerti euidentem proferam. LVCAE cap. XVIII. v. 8. legimus: λεγω υμιν, οτι ποιησει την εκδικησιν αυτων ΕΝ ΤΑΧΕΙ. Antea, verſu 4. in ſimilitudine



* in *Biblioth. S.* ad voc. *cito.*

tudine huc adplicanda, res ita descripta fuit: ουκ ηθελησεν ΕΠΙ ΧΡΟΝΟΝ. Postea, versu 7. transfertur sermo ad τους εκλεκτους Θεου, *diuturnis* pressos molestiis, diuinum auide exspectantes auxilium, βοωντας προς αυτον ημερας και νυκτος, vt sit locus spatiumque τη μακροθυμια του Θεου, creberrimis precibus, diu multumque auctis, numquam fatigandae. Ne longe hinc discedamus, in hoc ipso patefactionis diuinae libro subsistamus meditatione nostra. Se statim nobis offert cap. XVI. v. 15: ιδου ερχομαι ΩC ΚΛΕΠΤΗC. Idem sane, ac illud: ερχομαι ΤΑΧΥ. Quae sit metaphorae euoluendae ratio, docemur cap. III. v. 3. ηξω επι σε ως ΚΛΕΠΤΗC, και ΟΥ ΜΗ ΓΝΩΙC ΠΟΙΑΝ ΩΡΑΝ ηξω επι σε. Solent fures, non accelerare, sed procrastinare rem, vt tandem temporis opportunitatem nacti, subito atque *improuiso* adoriantur dormientes secure. Comparetur hoc, velim, cum dictis alibi, Matth. cap. XXIV. versu 43. 44: ως ΚΛΕΠΤΗC ΕΡΧΕΤΑΙ ο υιος του ανθρωπου, id est, non mature, citato cursu, sed η ωρα ΟΥ ΔΟΚΕΙΤΕ. Add. v. 48: ΧΡΟΝΙΖΕΙ ο κυριος μου ΕΛΘΕΙΝ. At nihilo tamen minus ΤΑΧΥ aderit Dominus, scilicet, εν ημερα, η ΟΥ ΠΡΟCΔΟΚΑι δουλος, και εν ωρα η ΟΥ ΓΙΝΩCΚΕΙ, versu 50. Neque istud praetermittere possum, 2. PET. cap. III. v. 10: ηξει η ημερα κυριου ΩC ΚΛΕΠΤΗC, postquam versu 9. commemoratum fuit, longa dilatione iudicem a multis in hanc adduci suspicionem: ΒΡΑΔΥΝΕΙ ο κυριος. Id quod adprime respondet nostro, Ερχομαι ταχυ, quamquam PETRVM his talibus dictionibus ad Apocalypsin respexisse, cum ISAACO NEWTONO adseuerare non audeo. Ex eo discimus, quis sit sensus enunciati: Ερχομαι COI ΤΑΧΥ, Apoc. cap. II. vers. 5. et 16. Hoc, COI, vt ad antecedens, ερχομαι, referamus, consuetudo linguae vix patitur. In tali enim sermonis argumento, vbi impendere fatum aliquod, aut instare iam plane, aut certe iam adpropinquare nunciatur, verbum Ερχομαι, non tam cum datiuo

tiuo, quem vocant, casu, quam cum accusatiuo potius, addita praepositione ΕΠΙ, copulatur: Ερχεσθαι ΕΠΙ ΤΙΝΑ. Vid. LVCAE cap. XIV. v. 31. IOAN. cap. XVIII. v. 4. Apocal. cap. III. v. 3. et 10. Ergo pertinet ad sequens ταχυ, vt sit sensus: *tibi repentinum* videbitur, quod iam diu tibi destinatum fuit, *tibi insperanti* cadet, vt *veniam*. Virum graece doctum, MATTH. DEVARIVM * cum ratione arbitrari memini: ΣΟΙ, *pariter, ac* εμοι, *simpliciter acceptum, postponi verbo; si autem emphasin aut oppositionem denotet, plerumque proxime praeponi, adeoque*, σοι λεγω, *plus valere, quam* λεγω σοι. Quod vero addit vir eruditus, in tam significante constructione, σοι, vel εμοι, *accentum non transmittere ad praecedentem dictionem, sed retinere proprium;* id vereor, vt satis sit probatum, nisi forsitan illud σοι, vel εμοι, totius propositionis initium faciat. Nunc me ad meum pensum reuocabo. Non est, quod existimemus, momentum temporis *proxime futuri* indicari hac loquutione: Ερχομαι ταχυ. Recte ANDREAS PRVCKNERVS, cum DAVIDE PAREO hac in caussa sentiens **: *το cito*, inquit, *non notat tempus instans, sed breuius, quam mundus opinetur*. Cito *igitur veniet, hoc est*, opinione citius. *Cum enim mundus altam sibi pacem promittet, aduentus Domini securos repente opprimet*, 1 Thessal. V. 2. Declarant hactenus disputata, quam sit infirma argumentatio, cui tamen plurimum confidit, cum multis haud infimi census Doctoribus, AVGVSTINVS CALMET ***: *futuros euentus*, NON DIV POST *adimplendos, in Apocalypsi referri, nihil vtique est, quod ambigamus;* etenim ipse *Ioannes* CITIVS *perficiendos nunciat: ecce venio* CITO. Adsumit vir doctissimus, tamquam certum, cui iam argumenta opposui haud proletaria, ΤΑΧΥ et CITO, vnum semper esse idem-



* de graec. linguae particulis, pag. 129.
** in Vindiciis Bibl. ad h. l.
*** in Proleg. et Dissertatt. in Scr. S. proleg. in Apocal. art. I.

que. Valde quidem speciosa fit caussa, dum prouocans ille ad Apoc. cap. XXII. v. 10. pergit scribere: *Cum vaticinia in Veteri Testamento res diu post adimplendas respicerent, Dominus ea obsignare Prophetas iubebat (Daniel. XII. 4. Ies. VIII. 16.); Apocalypsin vero, quod cito implenda esset, sigillo muniri prohibuit: ne signaueris verba prophetiae libri huius,* TEMPVS ENIM PROPE EST. *Cum itaque plus quam mille sexcentis abhinc annis S. Ioannes Apocalypsin conscripserit, eius vaticinia, saltem perplurima, saeculis retroactis iam completa, iure merito diiudicamus.* Ego vero adcuratius haec pensitans, nihil ibi, quod CALMETO faueat, inuenio. Non hoc dicitur: ΧΡΟΝΟϹ εγγυς. Sed ita lego: ΚΑΙΡΟϹ εγγυς. Sciunt linguae periti, καιρον notare *opportunitatem* aliquid faciendi, etiam *tempori seruiendi*, et non amittendi tempus, quum sit datum. Iam phrasin, οτι ο καιρος εγγυς εστιν, minime indicare existimo diem, *implemento vaticiniorum* dictum, tempusque rerum gerendarum propediem adfuturum. Maxime autem praecipi intelligo diligentem *praeparationem* ad futuros casus, prudentemque *temporum obseruationem*, vt multum prouidens sibi caueat homo, *ne quid improuisum*, tametsi serius veniens, perfringat ac prosternat animum. Id verborum cohaerentia planum facit. Nam statim subiungitur, versu 11: ο αδικων αδικησατω ετι (ergo nolens sapere, sua culpa pereat) και ο δικαιος δικαιωθητω ετι (is ita bene rebus suis consulens, et recte *vtens tempore*, in tuto collocabitur, is feret fortiter ac sapienter, quidquid acciderit, quacunque hora). Eamdem credo esse sententiam in fine libri, quae fuit ab initio. Dictum in cap. I. versu 3. ο γαρ ΚΑΙΡΟϹ ΕΓΓΥϹ, aegre refertur ad remotiora ab eo verba (versu 1. α δει γενεσθαι); multo autem commodius ad proxima, hoc ipso in versu 3: μακαριος ο αναγινωσκων, και οι ακουοντες τους λογους της προφητειας, και τηρουντες τα εν αυτη γεγραμμενα· ο ΓΑΡ καιρος (tempus animaduertendi, intelligendi, mentemque ad omnem euentum

tum

tum praeparandi) εγγυς. * Itaque hoc perinde vim habet cohortationis, atque iſtud praeceptum Galat. cap. VI. verſu 10: αρα ουν ως ΚΑΙΡΟΝ ΕΧΟΜΕΝ, εργαζωμεθα το αγαθον. Vnus forſitan mihi iniici poſſit ſcrupulus et quaedam dubitatio. Nimirum maxima adficitur laude huius, qui Philadelphiae Chriſto deuotae praeeſt, probitas integritasque, qua palmam is vnus praeripiat caeteris, verſu 8 et 10. Iam nouimus bonarum mentium indolem. Circumſpiciunt vniuerſa, et conſilio, quantum poſſunt, excubant vigilantque pro re ſua et communi. Ecquo igitur modo quidpiam euenire queat homini ſubito atque *improuiſo*? homini, inquam, cuius adeo eſt probata fides, adeo magna vigilia et proſpicientia? Breuis erit ad hoc, et facillima reſponſio. Optimae ſane mentes, nondum omni vacant culpa et labe, nondum ab omni immunes ſunt periculo. Fieri poteſt, et fit re vera, vt eorum deferueſcat aliquando ſtudium, vt ignauia quaedam ac velut torpor animum occupet, niſi perpetuo admonito erigantur et confirmentur. Experientia teſtis eſt, etiam alumnis diſciplinae Chriſti, iam dormitantibus, imo iam ſomno ſopitis, praeter exſpectationem hoc accidere: ιδου ηγγικεν η ωρα, Matth. cap. XXVI. verſu 45.

## §. V.

Ita experrectum monet atque hortatur, imo iubet Dominus: ΚΡΑΤΕΙ. Quae ſit verbi notio atque efficacia, praeter IO. PERIZONIVM **, IOACH. KVHNIVS *** copioſe perorat. *Tenere* id, quod iam in noſtram poteſtatem venit,



* Teſtes cito, eruditum par amicorum BEAVSOBRE ET LENFANT. Hi quamuis in eo a me diſſideant, quod commentantur in Apocal. I. v. 3. *car le tems eſt proche) comme le tems de l'accompliſſement de ces choſes n'eſt pas eloigné*, v. 1: eatenus tamen meae fauent explanationi, quoad ſubiungunt: *il eſt tems auſſi de s'y preparer.*

** ad *Aelian.* II. 4.

*** *quaeſt. philol. pent.* V. *pag.* 8.

vt est propria ac maxime vsitata significatio, sic suum hic etiam tuetur locum, ideoque additur, ο εχεις, et opponitur, ινα μηδεις λαβη τον ςεφανον σου. Id vero non ad tempus saltem serua, sed continuo quauis tempestate. Vt adeo simul notetur *firmitas* animi, numquam fluctuante sententia. Tantam in hoc vocabulo inesse vim, tum *oppositio* declarat, ινα μηδεις λαβη, tum *explicatio* manifesto nos docet cap. II. v. 13: κρατεις, και ΟΥΚ ΗΡΝΗCΩ, vbi simul testis cuiusdam, ad mortem vsque constantis, fit mentio; imo *antecedens* nuncius inopinati aduentus; qui certe perpetuam continuamque poscit animi attentionem, idem confirmat. Vt taceam et *originem* verbi (descendit enim, omnium confessione, a voce κρατος, hinc non simpliciter est, *tenere*, sed animose ac *fortiter tenere*, atque adeo ideam secum fert compositam) et propinquam *cognationem* cum alio, puta, προσκαρτερεω, constanter adhaeresco rei, ne illi desim vmquam. Praeterea hoc in libro diuino differentiam inuenio inter τηρειν, et κρατειν, quorum illud quidem, τηρειν, magnam *adcurationem diligentiamque* in opere bene *obseruando ac perficiendo* exprimit, et facile largior THOMAE GATAKERO * hebraeo נצר et שמר illud respondere; hoc autem, κρατειν, *firmitatem* animi in re *conseruanda custodiendaque* (imo etiam alicubi in *coercendo* hoste, cap. XX. v 2.) designat. Est ergo, cuius hominem esse admonitum vult Seruator imperans, κρατει, *constantia*.

## §. VI.

Tuemur parta, et studium conseruandae rei, eiusdem possessionem iam supponit: Ο ΕΧΕΙC. Nimirum, non tuo Marte tibi comparatum, sed aliunde acceptum, neque a natura fautrice, sed gratiae salutaris beneficio, et *verbi* quidem diuini efficacitate, tibi *datum*, vti explicatur

* *dissert. de N. I. stylo cap.* XVI.

catur cap. III. v. 3: πως ΕΙΛΗΦΑΣ και ΗΚΟΥϹΑϹ. Conf. v. 8: και ετηρησας μου τον ΛΟΓΟΝ. Vsu venire aliquando, vt EXEIN idem ſit, ac *poſſe*, dabo haud inuitus LVDOVICO CAPPELLO *. Hanc igitur notionem, quantum *vales* robore, a loco praeſenti non equidem excludendam puto, in primis ad antecedentia reſpiciens (verſu 8: οτι μικραν εχεις ΔΥΝΑΜΙΝ); attamen propria et frequens ſignificatio neutiquam erit deſerenda. Quod NORTONVS KNATCHBVLLVS ad 1. Corinth. XI. v. 10. adnotauit, EXEIN, idem interdum notare, quod *aeſtimare* et *cognitum habere*, id ſi teſtibus idoneis probatum dediſſet ille, adprime rectiſſime huc foret conueniens, in hanc ſententiam: Serua, quaeſo, quod *habes* permagno *aeſtimatum*, quod probe cognitum iudicaſti vſque adeo, vt hac de cauſſa atrociſſima quaeuis ſubieris pericula, verſu 8. et 10. Certius pariter, ac plenius, confido fore, vt in ipſas orationis medullas penetrem, canone huc adplicato, cuius plura dabit exempla b. SALOMON GLASSIVS **: *ſimplicia verba, pro compoſitis vſurpari ſolent*. Sigillatim potius, quam generatim loquar, ſimul teſtem ad meam adcommodabo cauſſam, HENRICVM STEPHANVM *** ita pro me verba facientem: ΕΧΩ *ſaepe accipit ſuorum compoſitorum ſignificationem, pro* ΑΝΕΧΩ, *item, pro* ΑΝΤΕΧΩ, *reſiſto, obſiſto*. Boni animorum paſtoris eſt, virum ſe praeſtare, ΑΝΤΕΧΟΜΕΝΟΝ του κατα την διδαχην πιστου ΛΟΓΟΥ, ad Tit. cap. I. verſu 9. Eſt autem αντεχειν, *contrarie* manu *tenere* aliquid, repugnante ac reſiſtente alio quopiam. Ad hoc, indicato loco, interpretationis gratia adnectitur: τους ΑΝΤΙΛΕΓΟΝΤΑϹ ελεγχειν. Et quia prorſus nihil abeſt, quin id, quod adeo firme grauiterque comprehenſum *retinemus* nullaque iniuria e noſtra poteſtate eri-

pi

* in *Spicileg. notarum in N. T. pag.* 132.

** in *Philol. S. L. III. tract. III. can. I.*

*** in *theſauro gr. ling. Tom. I. pag.* 1318.

pi patimur, valde diligamus et *carum* habeamus; idcirco magnum aestimabilis rei *pretium* simul designatur: siquidem verbum, αντεχειν, pro opposito habet καταφρονειν, MATTH. cap. VI. v. 24. Itaque illud, ANTEXEIN, tres hasce continet notiones: 1) *possessionem* rei, 2) amorem atque *aestimationem*, 3) *defensionem*. Nihil in medium protuli, ab instituto alienum. Sic prorsus eamdem dictionis huius, O EXEIC, vim esse, et res ipsa docet, et subiecti conditio haud obscure ostendit. Laudat hominis fidem probitatemque Dominus, quae inter tot ac tantas aduersitates inconcussa stetit, qua palmam is non fecit dubiam, immo vero praeripuit, caeteris, v. 8. Adhortatur eum, ad pergendum in hoc stadio, ad perseuerandum tam forti animo in constantia, ne quis, violenta manu impetum in eum faciens, coronam ab eo auferat. Ergo quod iam dicitur, EXEIC, aeque tantum potestate valet, quantum ANTEXEIC. Omnino autem vana fuerit suspicio, si opineris, verba haec, *quod habes*, hunc in modum exponenda esse: *quod putas habere.* Placet talis interpretandi ratio nonnullis REFORMATAE scholae magistris, hypothesi sectae suae inseruientibus, ne fateri cogantur, fieri posse, vt fidei iacturam faciat quisquam. His, nominatim DAVIDI PAREO, obuiam it B. ABRAHAMVS CALOVIVS *: *vbi*, inquit, *nequidquam Pareus*, quod habes, *de eo, quod habetur* κατα δοξαν, *vel, quod* videtur habere; *quia expressam litteram*, et *Episcopi Philadelphiensis apertam laudationem explicat; quasi corona tandem priuari innuantur, qui vulgo fideles habentur, quia non tenent, quod non habebant; quod videbantur habere: Et annon re vera habebat Episcopus, quod tenere iubebatur?* Ego, quamquam non dissimulo, εχειν, pro, δοκειν εχειν τι, poni alias, vtpote quod comparatione vtriusque dicti, MATTH. cap. XIII. v. 12. et LVCAE cap. VIII. v. 8. sole clarius efficitur; tamen

* in Bibliis illustr. ad h. l.

tamen hunc ad locum id minime aptum fore, tota orationis series aperte declarat. Quocirca prodierunt ex ipsa REFORMATORVM societate quidam, aequi aestimatores ac iudices. IOANNES COCCEIVS:* *quod habet*, quod re vera, vt verum, vt bonum, *vt laudem, adsequutus est, non vero, quod putat habere.*

## §. VII.

Quid autem sit Obiectum sermonis, tamquam digito indice monstratum, ad quod integra pertineat loquutio, κρατει Ο εχεις; de eo nondum inter omnes conuenit. Ad *coronam* referunt, cum CAMPEGIO VITRINGA, Reformatorum plerique, et, qua mente id statuant, nos haud difficili coniectura adsequimur. Hi cogitare debebant, finem coronare opus, et profecto decurrentes stadium, vel dimicantes in arena, praemia virtutis, olim sibi impertienda, adhuc *exspectare*, nondum *habere*, cap. II. v. 10: γινου πιστος - - και ΔΩCΩ σοι τον στεφανον, et 2. ad Timoth. IV. v. 8: ον αποδωσει μοι ο κυριος εν ΕΚΕΙΝΗΙ τη ημερα. Ecquid opus est circuitione atque anfractu? Manifesto nos docet verborum continuatio seriesque, huc repetendum esse ex versu 8: οτι μικραν ΕΧΕΙC δυναμιν, και ετηρησας μου τον λογον, και ουκ ηρνησω το ονομα με. *Seruare* verbum, *non negando*, est, *profiteri* fidem. Et negare *numquam*, est, *constanter* profiteri. Magna istiusmodi constantia, probatur, tentationibus explorata. Tentationes certe infirmam non possunt fidem, quippe tanto oneri ferendo minus idoneam; sed quo grauiora sustinentur pericula, eo robustiorem factum esse animum cognoscimus. Patet ex eo, per μικραν δυναμιν, non tam raras animi dotes exiguamque *fidei* potestatem, significari, quam potius paucitatem *felicitatis, solatiique* inopiam**. Plane sicut PAVLVS,



* in *Cogitatt. de Apocal. ad h. l.*

** Ambigue loquitur WILLIAM BURKITT: *thou hast a little strength*) *a little spiritual and inward strength.*

LVS, magna sane praeditus fide, aduersam fortunam crebrasque molestias, quibuscum conflictabatur ipse, ασθενειαν adpellat saepe numero, simul tamen confessus, se in tanta infirmitate consiliique penuria, Deo opem misero ferente, incrementum fiduciae ac spei, Deo semper confisae, cepisse, 2. ad Corinth. cap. XI. v. 5. 9. 10; οταν ασθενω, τοτε δυνατος ειμι. Atqui ασθενεια idem notat, ac μικρα δυναμις. Propterea laude dignus iudicatur iste nominis IESV confessor, quod, tametsi onere susceptarum calamitatum pressus, fortunae rebus animique viribus attenuatis atque imminutis, μικραν εχων δυναμιν, nihilo minus per Dei gratiam erectus et despiciens fortunam, admirabilem virtutem ac fortitudinem fidei maximam declarauerit, και ετηρησας με τον λογον, και εκ ηρνησω το ονομα με. E. constans doctrinae I. C. confessio, robustae fidei, quae grauissimis malis vrgentibusque frangi non poterat, incorruptus atque integer testis, tam eximia ornatur laude; ideoque ista cohortatio, κρατει ο εχεις, vt permaneat ipse in veteri sententia, perinde postulat flagitatque, atque illud: κρατωμεν της ομολογιας, ad Hebr. cap. IV. versu 14.

## §. VIII.

Ea demum vere sancta lex est, qua commodis humanae societatis consulitur, quae est recti praeceptio prauique depulsio, imperans honesta ac salutaria, prohibens contraria. Itaque cum ratione praecipit sincera libereque fluens beneuolentia: ΙΝΑ μηδεις κ. τ. λ. Cuius particulae propriam crebertimamque notionem iam retinere, sermonis argumentum nos iubet; quidquid tandem sit de rarioribus

quibus-

Id accipi potest vel de imbecillitate fidei, vel de gustu ac sensu gratiae et consolationis diuinae deficiente. Si prius in mente habuerit vir eruditus, nego. Sin posterius, concedo. Interea bene habet, quod addit: *and but few external and outward Helps and Aduantages.* Expository Notes on the New Testament.

quibusdam voculae significationibus, quarum vnam exposuit vir illustris IO. FRIDERICVS HOMBERGK * aliamque, prorsus singularem, obseruat celeb. ANTONIVS BLACKWALLVS **. De reliquis, consule MATTH. DEVARIVM ***. Haec profecto numquam fallit regula: quoties antecedit admonitum de actione morali, consilio instituenda, toties quod sequitur, ΙΝΑ, *finalem*, vt ex vsu scholae loquar, caussam ostendit. De eodem igitur non possumus hic loci non cogitare, voculae aptando sensu: ΙΝΑ *μηδεις λαβη τον ϛεφανον σȣ.*

## §. IX.

Longum foret percensere numerando ea, quae ad vocem ϹΤΕΦΑΝΟΝ illustrandam adferri poterant. Innumerabilia sunt de coronis, *sacris*, tum sacrificiorum ac victimarum, tum sacram rem facientium et sacerdotum, ornamentis, de *regiis ac principalibus*, de *conuiualibus*, de *nuptialibus*, de *militaribus*, earumque diuersis generibus, de *agonisticis*, et si quae sunt aliae, monumentis mandata ac posteritati propagata, in quibus commemorandis industriam exercuerunt suam antiquitatum periti, et in tanta multitudine vel primo nominandus loco CAROLVS PASCHALIVS. Illorum ego non compilabo scrinia, nec dicendi vbertati dabo operam. Dicam breui, quantum res postulat. Procul hinc absit coronarum *nuptialium* * considera-

 tio

* in *Parergis S. ad Marci cap. IV. pag.* 98.

** in *Crit. S. N. F. Tom. I. P. I.* §. 8. *pag.* 133. *edit. Lips.* Reu. WOLLII *studio elaboratae.*

*** de *graecae ling. partic. pag.* 169.

* Moris erat Christianorum, in primis *Graecorum*, vt sponsis coronae imponerentur. Et *nuptias* iure ita sibi proprio vindicasse *coronas*, vt *illae* propterea *κατ εξοχην coronarum* nomine adpellatae fuerint, vnde et *ακολȣθια του ϛεφανωματος*, *officium coronationis*, suam duxerit originem, docet prolixe IACOBVS GOAR, ad *Euchologium graecum*, *pag.* 385 et 397. Equidem, quum per *tria* nascentis ecclesiae saecula *coronarum* vsu Christianis omnino interdixerint Doctores, idcirco etiam a *nuptialibus* se abstinuisse homines castos probosque,

tio contemplatioque, quum nulla earum in textu nostro adpareant vestigia. Omnium minime est existimandum, *Poetarum* redimita lauro tempora in mentem nunc venisse Vati, diuino instinctu adflatuque nobilitato. Si quis velit opinari, per idearum consociationem, *Principum victorum* diademata hunc ad locum apta esse, non impediam. Probabile forsitan fiat ex eo, quod antea ponitur: *προσκυνησωσιν ενωπιον των ποδων σε* (conf. cap. I. v. 6. V. 10.); et statim postea: *ο νικων, ποιησω αυτον στυλον κ. τ. λ.* Vti prius ad *regiam* dignitatem, sic posterius ad *victoriam* pertinet. Magis tamen ad veritatem adcommodate dicam, nec dubito fore plerosque, qui meae suffragentur adseuerationi, a re athletica siue agonistica arcessitum esse hoc vocabulum. Id nobis persuadet consuetudo sermonis sacri perpetua. Toties ad circum, ad currentes in stadio, ad certamina, aut, si mauis, ad omne ludo-

bosque, ad liquidum perduxit Summe Vener. SALOMON DEYLINGIVS, *Obs. S. P. III. obs. XVI.* §. 5. At enim sub auspicium aetatis IV. mutatos fuisse mores, illamque quotidie magis inualuisse consuetudinem, negari nequit. In arcanam tam peruetusti ritus rationem inquirentibus, hanc subministrat CRITOPVLVS in *Confess. fidei cap.* XII. *sertorum distributio tamquam* PRAEMIVM VICTORIAE *fieri consueuit, quod sponsis ecclesia suppeditat, quoniam detestati furtiuas nuptias scortationem et promiscuos conuentus, vagae libidinis irritamenta virtute superauerunt.* Idem istud iam dudum memoriae prodidit IOANNES CHRYSOSTOMVS, in *Homil. IX. in I. epist. ad Timoth. νεογαμους ideo coronis ornari, quia* TRIVMPHVM *quasi canentes, velut victores casti in thalamum ingrediantur, neque illis coronas gestare integrum esse, qui castitate prodita voluptatibus succubuerint.* Vid. IO. CASP. SVICERI *Thes. eccles. Tom. II. pag.* 1016. Quid gens *hebraea* suis moribus rectum decensque habuerit, id magno eruditionis adparatu in lucem profert Magnif. DEYLINGIVS l. c. in *Cant. cap.* III. *vers.* 11. commentatus. Quae tandem, inclinata atque ad finem vergente republica, acciderit rerum mutatio, num illa desponsatorum ornamenta penitus fuerint abrogata, an saltem ex bitumine confectae coronae in desuetudinem venerint, myrteis autem et rosaceis adhuc vti licuerit; de eo multum disputare Iudaeorum Magistros, doctissimus WAGENSEILIVS in *Sota fol.* 49. commemorat. Vid. cel. CHRIST. SCHOETTGENII *horae ebr. et Talmud. in Matth. cap. V. v.* 13.

ludorum genus, qui adpellantur gymnici, respicere scriptores diuinitus illuminati solent, quoties de *corona*, vel de praemio ferendo, mentionem faciunt. Qua de caussa haud inanem iudico coniecturam, acri incitatione illa, ΚΡΑΤΕΙ Ο ΕΧΕΙΣ, ad morem *Agonothetarum, Aliptarum, ac Paedotribarum* mentem oculosque conuerti, quibus hoc datum erat, vt descendentes in arenam et iam pugnantes sedulo adhortarentur, et diserte quidem facta *coronae* promissione, ne suo deessent officio, vt fortes se praestarent strenuosque. Eumdem in modum de simili dictione Apocal. cap. II. v. 10. arbitratur PETRVS ZORNIVS, vir doctissimus, idque testibus probat locupletibus *. Vt anteoccupem, quod puto opponi, breui perorabo caussam. Valde suspicaberis, *loco* minus congruenter conuenienterque istud a me adsertum. Magnis equidem in laudibus tota fere GRAECIA fuit, victorem Olympiae citari. Quid vero haec ad ASIAM? speciatim ad PHILADELPHIAM? Respondebo, quod in procliui est. Num quid prohibet, quominus apud exteras nationes metaphora ducatur a ritibus alieni soli, vsquequaque *notis*, vbi fama longe lateque peragrauit? Sed, ne videamur iusto liberaliores, etiam Asiae ciues, artem exercendo agonisticam, Graecorum mores imitari consueuisse, PHILOSTRATI et FALCONERII auctoritate laudatus ZORNIVS dilucide explicat.

§. X.

Nos ad rem accedamus propius. *Quid* intelligatur per ΣΤΕΦΑΝΟΝ; quaeritur. Metuunt, nec frustra, REFORMATI Doctores, si sempiternam beatitatem isto nomine designari adfirment, ne ex eo efficacissimum contra necessariam, qualem ipsi fingunt, sanctorum perseuerantiam, argumentum depromatur. Cuius vim vt effugiant, aut, si

 possint,

* in *Biblioth. antiqu. et exeget. pag.* 869. *seqq.*

possint, infringant, aliud nobis persuadere conantur. Eximie doctus IOANNES ARROWSMITH * tamquam sibi non constans, *siue coronam Ministerii*, *siue veritatis euangelicae coronam*, indicari decernit. At ne vnum quidem sacris ex litteris proferre valet alterutrius significationis exemplum. Et, quod vnice excitat ex Rabbinorum scholis, quibus *corona legis* in ore versatur, testimonium, in eo vix minimum se inuenisse sciat suae caussae praesidium. At nihilo tamen minus fere eamdem adoptauit sententiam, atque ex instituto ornandam sibi sumsit vir clarissimus, WILHELMVS ERN. EWALDVS, omnes in eo contendens neruos, vt nos faciat certiores, non ad iuuenes athletas, sed ad CΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΥC, magnam in Asia minore celebritatem consequutos, respiciendum esse; qua in caussa sibi consentientem habet, numquam sine honoris praefamine nominandum THEODORVM HASAEVM. ** Omne vero conficit negotium optimus verborum suorum interpres, ipse CHRISTVS, cap. II. v. 10: δωσω σοι τον ϛεφανον της ΖΩΗC, seu quod alibi dicitur, αμαραντινον *** ΤΗC ΔΟΞΗC, non prius accipien-

* in *Tact. Sacr. Lib. III. cap. III.* §. 21.

** vid. *Museum Brem.* Vol. II. P. III. *num.* 3. et 4.

*** IACOBVS LYDIVS in *agonist. sacr. cap.* XLV. existimat, STEPHANVM citans testem, vocem αμαραντινος *non fieri ex* αμαραντος, *quatenus nomen est adpellatiuum et adiectiuum, sed, quatenus est nomen certi floris proprium. — — Et amarantum coronis adhibitam fuisse docet quoque* TIBVLLVS *L. III. et IV.* Ab eadem sententia se non alienum profitetur CORNELIVS ADAMI *obseruatt. theol. phil. pag.* 436. Tantis viris ego adstipularer lubens, si hoc me non impediret, quod amaranti vsum in luctu quidem magnum ac frequentem, in laetitia autem publica, praesertim in victoribus et athletis sua laude ornandis, nullum fuisse, PHILOSTRATI testimonio, ad quod ipse tamen prouocat LYDIVS, compertum habemus. Et quod PETRVS, I. epist. V. v. 4. αμαραντινον vocat, id cap. I. v. 4. αμαραντον adpellat idem; adiungitque αφθαρτον, manifesto indicio, vtrumque pariter nomen esse adiectiuum, et αμαραντινον, siue αμαραντον, a verbo μαραινω, quemadmodum αφθαρτον a φθειρω, originem suam ducere; hoc tantum obseruato discrimine, quod αφθαρτος, aureis et metallicis coronis, at αμαραντινος floren-

piendum, quam *φανερωθεντος του αρχιποιμενου*, I. PET. cap. V. v. 4. Conf. 2. ad Tim. cap. IV. v. 8. et IAC. cap. I. v. 12. Neque omnino infitias ire audet eruditus ARROWSMITH, * saepius vsu venire, vt *vita aeterna* nuncupetur *corona*. Comparationem ipse instituit, satis ad rem apte: *Vocabulum, corona, vitae aeternae adplicatum, duo designat, 1)* gloriam *illius praemii (corona siquidem seu diademate nihil est inter sublunaria gloriosius; vnde passim in Apocalypsi coronis Optimates insigniuntur) et 2)* amplitudinem *illius gloriae; quia sicut corona caput vndique cingitur, ita totus homo coelesti gloria.* Annum *bonitate sua* coronare *dicitur Dominus, quia singulae tempestates anni suis quaeque frugibus et Dei erga nos beneficiis cumulantur; sic, cum vtramque stolam induerit coeli incola, singulae facultates singulaque corporis membra coelestem penitissime gloriam imbibent, atque adeo totus homo coronabitur.* Sunt praeterea, fateor, piae meditationes IACOBI LYDII ** inter quas eminet vna: *coronarum forma omnium formarum est perfectissima et capacissima, omni ex parte in sese vergens. Haec vna nusquam incipit, nusquam desinit. Haec forma refert motum circularem, qui solus est perpetuus. Vnde Manilius lib. I. hanc formam commendans sic cecinit:*

*Haec aeterna manet, diuisque simillima forma,*
*Cui neque principium est vsquam, nec finis in illa.*

*Itaque olim Athletarum perfectio et consummatio hac coronae forma fortean fuit significata. Atque ita similiter perfecta et aeterna beatorum in coelis felicitas et gloria, per coronae formam circularem designari potest.* Plura in numerato habet CORNELIVS A LAPIDE *** nec dubito, quin augeri queat numerus, si ingenio indulgere consultum foret. Interea, quam possit

florentibus et herbaceis, opponi videtur.

* in *Tact. Sacr. pag.* 306.

** *l. c. cap.* XLV.

*** *in Commentar. in Apocal. cap.* II. v. 10.

possit maleuola astutia id, quod bona mente pronunciatum fuit, in malam partem vertere, exemplo discimus, quod scriptum reliquit CAROLVS PASCHALIVS: * *Heraclius Ponticus, et auctor Etymologici, hanc ipsam circularis formae excellentiam, quae coronae propria est, repraesentant his verbis: στεφανος θριγκος ο περιτρεχων κυκλοθεν, corona est summitas, quae currit vndiquaque. Hac forma visa, contremuerunt illi, qui* IVLIANO *sacrificanti adstabant, nimirum, cum in extis adparuisset signum crucis, corona circumdatum. Hinc enim isti coniectores coeperunt suspicari, nullos nec temporis nec locorum fines doctrinae christianae statutos esse. Primum, quod corona est symbolum victoriae. Deinde, quod forma circularis, ex omni parte incipiens, et in se desinens, finem designat nullum. Haec is, qui sacris praeerat, elusit, et quidem quaesitiori commento. Quippe is victimam aliud significare dixit; atque adeo hinc palam esse, christianum dogma in se reuerti, hoc est, vanescere et extingui; tum circulari forma, intra quam coerceretur, angustias eius demonstrari.* De caetero, beata sua sorte contenti prisca aetate, ciuitati christianae adscripti, vanam mundi gloriam generoso contemtu aspernabantur. Imo non decere christianos homines, coronas ferre capiti impositas, ne ad profanos saeculi mores se accommodare, vel saltem aeternam beatitudinem flocci facere videantur, demonstratum it TERTVLLIANVS, eoque consilio librum *de corona militis* composuit. **. Suam laudem ac dignitatem quaerebant illi omnem

* *de coronis*, Lib. I. *cap.* VII.

**] Certos tamen fines ac terminos illi rigori constituit PAVLVS ARINGHVS, in *Roma subterr.* T. II. *Lib.* VI. *cap.* 49. dum in eo est, vt coronarum in christianis sepulcrorum monumentis antiquitatem ab omni suspicione vindicet: *verum*, ait, *si orthodoxorum Patrum sententias diligenter expendamus, illas potissimum coronas Christianis deferre, quae hominibus gentilitiae superstitioni deditis, in obscoenis ludis, exsecrandisque sacrificiis vsui erant, et quibus ipsamet idolorum vel certe defunctorum capita, vano futilique obseruantiae ritu cingebant, vetitum fuisse constabit: nullatenus vero eas gestare interdicebatur, quibus milites post partam*

omnem in cruce IESV CHRISTI, ſpe freti certiſſima, fore, vt coronam inde ferant numquam interituram. Ex ea religione enata fuit *crux coronata*, de qua, praeter alios, IO. BAPTISTA CASALIVS * et IOANNES CIAMPINVS ** mentionem faciunt. Quid? quod etiam *vincula* vocabantur *coronae*. POLYCARPI *ad Philippenſes epiſtola* tale habet initium: δεσμοις, ατινα εϛι διαδηματα των αληθως υπο Θεου και του Κυριου ημων εκλελεγμενων. Neque ita male, quoad *corona* accipitur pro *decore atque ornamento;* quemadmodum ipſe PAVLVS ſuis calamitatibus tantum tribuit honoris: ητις εϛι ΔΟΞΑ υμων, ad Epheſ. cap. III. v. 13. Atque hanc fuiſſe mentem POLYCARPI, cognoſcimus ex adiuncto: ΑΓΙΟΠΡΕΠΕCΙ δεσμοις, quae *decent* ſanctos, vinculis. Quatenus autem *praemia* laborum ſignificantur, coronam a luctatione curſuque diſtingui oportere nimis eſt manifeſtum.

## § XI.

Suum cuique tribuit iuſtitia: τον ϛεφανον COY ***. *Ex eo colligi poſſe* videtur DAVIDI PAREO * *Sicut erunt gradus poenarum in inferno, ſic fore praemiorum differentias in coelo*, Adiumentum forſitan adferre poterat huic ſententiae, quod ſtatuunt

*tam ſedatis bellorum procellis victoriam, cum ſolemnes deinde triumphos agerent, -- redimiti incedere conſueuerant*, rel.

* *de veteribus ſacris Chriſt. ritibus*, P. I. *cap.* I. *pag.* 7.

** vid. *de cruce ſtationaria inueſtig. hiſtor. pag.* 5.

*** Legem XII. tabularum, in qua erat haec ſententia: QVEI CORONAM PARIT IPSVS PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO DIDITOR, ita commode illuſtrat CVNRADVS RITTERSHVSIVS: *nihil intereſt, vtrum* IPSE *quis certauerit, et victor euaſerit, ſiue ipſius equi et ſerui et quadrigae; haec enim omnia continentur in hac lege* PECVNIAE *adpellatione*. Nos vero ſciamus, et ſancte teneamus, homini aeternos ambienti honores, coronam non aliam, quam *ſuo* ipſius labore partam, decerni, nihil ipſi prodeſſe alienam virtutem, et *ſupererogationis* opera eſſe barbarum ſermonem in negotio ſacro. *Tua* corona, *tuam* fidem diligentiamque poſtulat.

* *Opp. exeget.* P. II. *pag.* 1123.

ſtatuunt antiquitatum periti, diſcrimen inter *coronas* et *corollas, ſiue corollaria*, nec non inter *coronas*, quarum non omnes fiebant participes, et *praemia* certaminis, virtutis laude inferioribus data, in quorum numero etiam *pomum* habuiſſe veteres, ANTONIVS BORREMANSIVS * obſeruat. Memorabilis exſtat locus in CLEMENTIS *epiſtola II. ad Corinth.* και ει μη δυναμεθα απαντες ϛεφανωθηναι, και εγγυς του ϛεφανου γενομεθα. Haec ad verba IO. BAPTISTA COTELERIVS ſcite adnotat: *lux petenda eſt ex legibus athleticis, quippe per quas vni* CORONA *cedit, conſequuntur alii* PRAEMIA, *alii poſtea* LAVDEM; *caeteros nec corona, nec praemium, nec laus manet.* Eamdem in ſententiam EPHREMVS pronunciat, referente PETRO FABRO **: *feſtinemus autem magis, vt cum perfectis ac fidelibus* CORONEMVR; *ſin vero vel cum multis placentium* LAVDEM *praeconii mereamur. Beatus, qui in agone certauerit, vt cum* PERFECTIS *victoriae* CORONAM *accipiat! Miſerabilis vero, qui hoc tempus vitae ſuae negligenter conſumſerit, vt indignus ſit, etiam cum* MINIMIS COLLAVDARI. Haec ille. De *aureolis*, in cerebro SCHOLASTICORVM, qui vocari ſolent, factis, prolixe diſſerere, vix operae foret pretium ***. Ego vero vt ſine mora ad propoſitum redeam; fateor quidem ingenue, glorioſiſſimae vitae portionem variam, eamque *gradibus* diſtinctam fore *. Quo in argumento dilucide explanando iam ſua aetate AVGVSTINVS, cum

* *Variar. lect. cap.* XII.

** *Agoniſtici Lib.* III. *cap.* X.

*** Somniantes vident illi *tres* gradus aeternae gloriae ſupremos, quibus nomen *aureolarum* imponunt. Has ita diſpertire audent, vt *Martyribus* vna, eaque praecipua, altera *Doctoribus*, tertia *virginibus* adſignetur. Quam ob rem S. STEPHANVM, primum omnium N. F. aetate Martyrem, beatitatem omnibus numeris abſolutam, adeoque triplicem palmam, adeptum eſſe opinantur, nimirum *aureolam Martyris, aureolam virginis, quia coelebs obiit, et aureolam Doctorum.* Sic verba reddidi B. IOACHIMI HILDEBRANDI, *de diebus feſtis*, p. 27.

* Ex SOCINI ſchola prodiiſſe quosdam, id negantes, conqueruntur, profligantque errorem excellentes Viri,

cum IOVINIANO in arenam descendens, vtilem praestitit operam. Et Martyribus, dummodo vere tales fuerint, in sedem beatam euectis, quanto illustrior in ipsis enituerit fides, tanto maiorem impertiri gloriam, non sine ratione credidit pia antiquitas *. At vereor tamen, ne distinctio *coronae et praemii*, a mente Seruatoris, iam dicentis, longe sit remota. Certe PAVLLVS nullam hic agnoscit differentiam, dum vni ex concertantibus, maxime strenuo, omnibusque in stadium ingressis mira alacritate antecellenti, *praemium* pollicetur, idem istud per *coronam* interpretatus: ΕΙϹ δε λαμβανει το ΒΡΑΒΕΙΟΝ -- ινα φθαρτον ϹΤΕΦΑΝΟΝ λαβωσιν, 1. ad Corinth. cap. IX. v. 24. 25. Porro, quod iam *coronae* nomine designat CHRISTVS, id *praemium* adpellat ipse, cap. XXII. versu 12: και ιδου, ερχομαι ταχυ· και ο ΜΙϹΘΟϹ μου μετ εμου. Denique promissione, vni data, τον στεφανον ϹΟΥ, nihil hominis proprium ac singulare spondere Dominum, id planum facit vox Apostoli: ον (στεφανον) αποδωσει ΜΟΙ ο κυριος, ΟΥ ΜΟΝΟΝ δε ΕΜΟΙ, αλλα ΚΑΙ ΠΑϹΙ τοις ηγαπηκοσι την επιφανειαν αυτου, 2. ad Timoth. cap. IV. v. 8. De *merito* autem *operum*, in textu, quem prae manibus habemus, nec vola nec vestigium exstat. Imo potius contrarium adparet ex insignibus praedicatis, nequidquam aliud, quam *fidem in* CHRISTI *promerita fideique confessionem*, celebrantibus, versu 8: ετηρησας μου τον λογον και ουκ ηρνησω το ονομα μου.

## §. XII.

Tantae felicitatis iacturam ne faciat homo, forte oscitans et dormitans, admonetur: ινα ΜΗΔΕΙϹ ΛΑΒΗΙ τον στεφανον σου. Longissime a scopo aberrant, in tenebris quaerentes



ri, ABRAHAMVS CALOVIVS, in *Socin. proflig.* et IOAN. ADAMVS SCHERZERVS in *Collegio AntiSocintano.* Ipse autem SOCINVS adfirmat diserte, copioseque probat, in *epistolis ad Dudithium.*

* vid. HENRICI DODWELLI *dissert. Cyprian.* XII. §. 29. *seqq.*

rentes lucem, quibus placet priscum huc trahere institutum, cuius haec fuit ratio, vt Athletae, victores abeuntes, coronas e loco eminentiore suspensas sibi adsciuerint extensa manu. Id quod dixere λαμβανειν. Non infitior, hoc in more positum fuisse antiquis gentibus, et plura de eo dabunt PETRVS FABER et IACOBVS LYDIVS. Nec multum tibi repugnabo, si, quod est dictum alibi, λαμβανειν το βραβειον (1. ad Corinth. cap. IX. v. 24.) item, ληψεται τον στεφανον της ζωης (IACOBI cap. I. v. 12.) ex ritu iam indicato illuminandum putaueris. Hoc scio certum, ad praesens sermonis argumentum nihil facere illius consuetudinis notitiam. Recte b ABRAHAMVS CALOVIVS: *Num autem*, ait, *praecise mos iste Agonistarum respiciatur, qui ex aliquo eminentiore loco adpensam coronam, incitato quam ocyssime cursu, manibus arripiebant, temere definiri videtur; neque nostro cursui, sed diuinae gratiae, nos in fide, qua veluti manu adprehendimus coronam, confortanti, tribuenda est consequutio, Rom. IX. v. 16. Ne quis auferat coronam tuam, simpliciter est, ne auferatur tibi corona. Non ergo scrupulose inquirendum, an corona, vni proposita et promissa, vel, quam habet ac possidet per fidem, quae eidem propter peccata proaeretica et απιστιαν, adeoque impoenitentiam, aufertur, concedatur alteri, velut in locum eius succedenti.* Scilicet verbum, λαμβανειν, praeter frequentem notionem, *accipere*, etiam *auferre* significat, et ita quidem, vt in alterius vsum non conuertatur res ablata, sed omnino in deperditis numeranda sit. En! exemplum instar omnium euidens, cap. VI. versu 4: εδοθη αυτω ΛΑΒΕΙΝ την ειρηνην απο της γης. Idcirco nihil video caussae, cur CORNELIVS A LAPIDE eiusque similes arbitrentur, coronam defectoris, sua culpa pereuntis, alteri, in ipsius locum suffecto, cedere. Imo vero vni mortalium cuique offertur salus, vniuersis ac singulis parata, ideoque datum est cuilibet, non alienum occupare, sed suum tueri locum. Si quid bene agit, suum facit officium. Si quid con-

sequitur

ſequitur optabile, ſuam homo nanciſcitur portionem. Ergo nemo ſuccedit in alius cuiusdam prouinciam. Obſcure et minus adcurate, magnus alias IOANNES COCCEIVS in hunc locum commentatur: *ne quis impediat ipſius coronationem, et eum priuet corona, vel, ne alii, et non ipſe, coronentur.* Rectius planiusque ESTIVS: *non, vt ipſe habeat, ſed ne tu habeas.* Vocula autem ΜΗΔΕΙϹ, *multitudinem* ac *varietatem* periculorum ſignificari, in confeſſo eſt, vt eo alacrior fiat mens, ad tutandam felicitatem, atque ad circumſpiciendum omnia, vt hoſtium nemo, ne vnus quidem, aliquid lucri faciat. Et memores nos eſſe oportet verborum, ad Rom. cap. VIII. v. 35. 39: ΤΙϹ ημας χωρισει απο της αγαπης τȣ Χριςȣ; θλιψις, η ϛενοχωρια - - - ȣτε υψωμα, ȣτε βαθος, ȣτε ΤΙϹ ΚΤΙϹΙϹ ετερα κ. τ. λ. Inde iam concludo, voculam ΜΗΔΕΙϹ (ἵνα μηδεις λαμβανει) denotare, per elegantem προσωποποιιαν, omne ſalutis obtinendae impedimentum, ſiue perſonam, ſiue *rem* quamcunque, et quoduis triſte *fatum.* Eſt igitur dilucida ſignificansque deſcriptio, quam viri clariſſimi BEAVSOBRE et L'ENFANT orbi litterato dederunt: *perſonne ne vous enleve) C'eſt à-dire, afin qu'il n'y ait* ni perſonne ni choſe *au monde, qui puiſſe empécher que vous ne la remportiez.* Praeterea non contemnendam duco, quam et laudat b. CALOVIVS, obſeruationem EPISCOPII: *non eſt neceſſe, admodum laborare de perſona accipiente. Ratio enim loquendi in Scriptura S. vſitata obtinet, vt perſonis aliquando actio aliqua aut paſſio tribuatur, etiamſi nulla perſonae ratio habeatur,* ſed imperſonaliter *ſenſus intelligatur; ita, vt h. l. phraſi hac,* vt nullus accipiat coronam tuam, *aliud nihil indicetur, quam hoc: vt tibi corona tua non adimatur.*

§. XIII.

Concluſio erit ex neceſſaria conſequutione: poſſe fieri, vt homo vere credens vereque pius fidem omnino perdat; atque adeo ſummo in errore verſari, qui *Synodi Dor-*

*dracenae* effata in ſe recipiunt, tantam ſtatuentes ſanctorum perſeuerantiam, vt formido oppoſiti nulla ſit. Noſtram profitemur doctrinam in *Auguſt. Confeſſ. Sect. XII.* et in *Form. Concord.* artic. IV: *reprobamus ac damnamus dogma illud, quod fides in Chriſtum non amittatur.* Iuuare ſtudent atque ornare malam cauſſam REFORMATI diſtinctione aliqua. Inter eos PETRVS VAN MASTRICHT *: *datur*, inquit, *fides ſeminalis, datur habitualis, datur actualis.* Quam vellem, vt definitione explicaſſet ſingula, et, qua ratione *ſeminalis* fides ab *habituali* ſecernenda ſit, plane ac perſpicue expediuiſſet! Interea haec mentibus infixa haeret opinio, *actualem* fidem forſitan ad tempus ceſſare, at *habitualem*, vel certe *ſeminalem*, aut, vt alii malunt loqui, *radicalem*, nullo poſſe interire modo. Abutuntur, ad propugnandum errorem, verbis LVCAE, cap. VIII. v. 13. vt et 1. ep. IOAN. cap. III. v. 9. Enimuero tantum abeſt, vt alterutrum dictum illi faueat opinationi, vt omnino noſtrae veritas ſententiae in eo eluceat, ſi id vtrumque comparemus cum textu noſtro. Obſecro Lectores, a ſtudio partium alienos, vt cogitate penſitent haec tria potiſſimum praedicata. PRIMVM deſcribit *ſtatum* hominis, optimam ſane animi indolem: ο ΕΧΕΙϹ. Quippe ex verſu 8. huc repetendum, οτι ΕΤΗΡΗϹΑϹ μȣ τον ΛΟΓΟΝ, και ȣκ ηρνησω το ονομα μȣ, non infirmante, non conuellente, non proſternente fidem tuam μικρα δυναμει, tam exigua tranquillitate, tantis calamitatum fluctibus attenuata atque imminuta (per §. VII.). Atqui haec eſt praeſtantiſſima eorum conditio, οιτινες εν καρδια καλη και αγαθη ακȣσαντες τον ΛΟΓΟΝ ΚΑΤΕΧΟΥϹΙ και καρποφορȣσιν ΕΝ ΥΠΟΜΟΝΗι (LVCAE cap. VIII v. 15.) a quibus longiſſimo interuallo remoti ſunt προσκαιροι, ΡΙΖΑΝ ΟΥΚ ΕΧΟΝΤΕϹ (ibid. v. 13.). Ergo is, quem nunc adloquitur Seruator, non eſt adnumerandus illo-

* *in theolog. theor. pract. L. II. cap. I. pag. 52.*

illorum gregi, in quibus non inest *radicalis*, vt sermone peregrino vtar, fides. E. habet in se fidem radicatam. Is ipse tamen metuere debet, ne sibi eripiatur corona. E. et probus constansque, potest, si non caueat sibi a malo, fidem, etiam radicatam et seminalem, amittere. Nec tantum de *confessione* dicitur, sed fides vna laudibus extollitur. Dicitur PRIMVM: *ετηρησας μου τον λογον*, toto pectore amplexus es religionem; tum vero sequitur: *και ουκ ηρνησω το ονομα μου*. E. ad vtramque, tum internam fidem, tum externam fidei confessionem, pertinet istud: *ο εχεις*. E. frustra est IOANNES MARCKIVS * adserens *fidei inamissibilitatem* (re barbara dignum nomen!) *quamuis non ratione actus, aut confessionis externae, certe tamen respectu habitus fidei.* SECVNDVM imperat bonae menti *officium* recte faciendum: ΚΡΑΤΕΙ *ο εχεις*. Haec est vox monentis, imo iubentis. Admonita et praecepta, sunt incitamenta. Incitatione indiget nemo, nisi qui muneris sui aut est oblitus, aut obliuisci potest. E. vbi nullum est periculum, ne qua mentem occupet desidia, ibi stimulum admouere, superuacaneum foret. E. qui *admonetur* de fide *seruanda*, is *potest* fidem *perdere*. Qua de caussa Maiores nostri in *Declar. Form. Concord. Sect. IV.* docentes, *falsam et Epicuream opinionem grauiter redarguendam esse, quod quidam fingunt, fidem et acceptam iustitiam atque salutem, non posse vllis peccatis et sceleribus (tametsi voluntarie et destinata malitia mala opera perpetrentur) amitti;* recte iudicant: *contra hanc pestilentissimam persuasionem, singulari diligentia hae verissimae, immotae, diuinae comminationes, poenae, admonitiones, Christianis, per fidem iustificatis, saepe retinendae atque inculcandae sunt.* Nescio, quid velit IOANNES ARROWSMITH **: *dato, at non concesso* (concedendum autem id

* in *Compend. Theol. christ. cap.* XXII. §. 25.

** in *Tact. Sacr. pag.* 310.

id nobis vtique iure nostro postulauimus (§. X.) *intelligi illic coronam vitae, quam electis in coelo reposuit Dominus, non inde sequetur deperdi eam posse; sed indulgentissimum Patrem nostrum huiusmodi monitionum stimulos adhibere, et eosdem efficaces reddere ad creandam in nobis perseuerantiam, ne perdatur.* Mirum hic video idearum copulationem: *non sequitur*, coronam deperdi *posse*, licet stimulus adhibeatur, *ne perdatur* ea. Haec, manifesto pugnantia, quo pacto inter se conciliari et coniungi queant, ego prorsus non perspicio. Dabunt mihi omnes, quot sunt aequi aestimatores et iudices, id fieri *posse*, quod)ne *fiat*, diligenter praecautum ac prouisum est. TERTIVM ostendit *praemia*, simul *pericula* minatur: ἵνα μηδεὶς ΛΑΒΗι τὸν ΣΤΕΦΑΝΟΝ σου. Duo insunt in vna propositione demonstrationis nerui. 1) ΛΑΒΗι. Vbi rapax manus, ibi *periculum*. Vbi periculum, ibi metus. Vbi metus, ibi non perfecta securitas. Vbi secure viuere non licet, ibi vigilia et prospicientia opus est. Vbi haec, ibi cura rerum bene gerendarum, ac deuitandi aut propulsandi mali. Vbi hanc postulat necessitas, ibi possibilitas, vt ita dicam, vacillandi, cedendi, et succumbendi fortunae. 2) τὸν ΣΤΕΦΑΝΟΝ σου. Haec tanta cura ac solicitudo adhibenda est, ad obtinendam *coronam*. Corona est praemium, idque sempiternum (§. X.). Id vero non prius datur, quam in *fine* laborum, quibus tota consumitur aetas nostra (Apocal. cap. II. v. 10.) E. *ad finem* vsque perseuerandum est et permanendum in veteri sententia, ne auferatur corona. E. haec potest auferri. E. et *finaliter*, quod dici solet, amitti potest fides (probe tamen obseruata inter credentem et electum, differentia). Proinde non denegatur probo et cauto homini *certa salutis suae ratio.* Tantum, ne arrogante inanique persuasione tumescat et securus fiat animus, cauendum est. Nimirum *certum* habemus

mus aliquid vel ſimpliciter et *abſolute*, vel quadam *conditionis* lege (plane ſic, vt duplex eiusmodi neceſſitatis genus nemo ſapiens in diſcrimen vocat). *Abſolute certum* adpellamus, *vbi tanta eſt rei perfectio, quae mutationis omnis expers eſt omnique vacat periculo.* Tam beata ſorte, dum eam exſpectamus adhuc, iam nondum fruimur. Id noſtra non fert mortalitas, quod tandem aliquando, ſuperata morte, melioris vitae praeſtantia adferet. Quamdiu cum hac aerumnoſa vita luctando exercemur, tamdiu recordari nos oportet verbi: ȣχ οτι ηδη ελαβον, η ηδη τετελειωμαι, διωκω δε, ει και καταλαβω κ. τ. λ. ad Philipp. cap. III. v. 12. 14. Contra ea, quod poſita *conditione certum* dicitur, id conſiſtit in *maxima efficacitate mediorum ſufficientium conſeruando bono effugiendoque malo.* His ſi recte vtamur mediis, in ſpe innitimur certiſſima. Sin minus; tum mediorum aut ignoratio, aut neglectio, aut abuſus vel ſiniſtra adplicatio, hominis fallit exſpectationem. Hoc eſt, quod praecipit Legatus Chriſti: ο γεννηθεις εκ του Θεου, ΤΗΡΕΙ ΕΑΥΤΟΝ, και ο πονηρος ȣχ απτεται αυτου I. IOANN. cap. V. verſu 18; ob eamque cauſſam commendat ſuis ſummus Imperans *vigilantiam*, MATTH. cap. XXVI. v. 41. *Vigilantia mentis*, eſt adſidua meditatio atque attentio animi ad ſalutem integram, eiusque tum *impedimenta*, tum *media*. E. fundamenta huius virtutis iacta erunt, ſi cogitemus 1) imminere periculum, tamquam *impedimentum* felicitatis; 2) poſſe euitari illud, virtute *mediorum*, ad obtinendam conſeruandamque ſalutem. Vtrumque complectitur vna vox PETRI, in prioris epiſtolae capite V. verſu 8. et 9: γρηγορησατε· nam 1) *periculum* eſt iam *praeſens*, οτι ο αντιδικος υμων ο διαβολος, ως λεων ωρυομενος, περιπατει, ζητων τινα καταπιη, 2) ſunt vobis Dei beneficio *datae vires* largae plurimumque valentes, ad coniiciendum in fugam hoſtem: ω αντιστητε στερεοι τη πιστει. Nihil igitur lucri faciunt, qui in *Synodi Tridentinae* decreta iurantes exiſtimant, in noſtro textu ſe inueniſſe, non quod pueri

in faba. Illis obuiam it b. ABR. CALOVIVS *: *non tamen id concedendum* CORNELIO A LAPIDE, *quod nemo certus esse possit de sua perseuerantia et salute, nisi quoad certitudinem ABSOLVTAM. HYPOTHETICA enim omnino datur, si scilicet MEDIA salutis non negligimus.* Opportune mihi accidit, vt S. PAVLLVM audiam loquentem, dictione e circo petita: εγω ουτω τρεχω ως ουκ αδηλως, 1. ad Corinth. cap. IX. v. 26. Hinc argumentor: quot erant requisita, vt alacriores efficerentur ad pergendum in stadio, ac spe firmissima fulcirentur iuuenes, tot sunt nostrae fiduciae in negotio salutis fundamenta. Illos nimirum esse oportebat certissime persuasos de quinque hisce veritatibus: 1) *vere decerni* virtuti praemium; 2) idque *praestare* caeteris rebus, atque adeo operae esse pretium, sine mora instituere cursum, imo conficere; 3) et licere *cuiuis*, dummodo nulli parcat labori, ad tantam adire dignitatem; 4) etiam *vires* non deficere hominem, ad perficiendum opus; 5) *nec mutari* mentem brabeutae, sed, quod semel fuerit statutum promissumque, id reuocari numquam. Haec rei momenta, si ad magnam grauemque religionis caussam adcommodentur singula, christiano homini, tendenti ad metam et properanti, sempiternam gloriam quam certissime pollicentur et confirmant. Nullum est dubium, quin 1) sint *promissa* diligentiae praemia, η ευσεβεια επαγγελιαν εχουσα ζωης της νυν και της μελλουσης, 1. ad Timoth. IV. v. 8; 2) haec beatitudo excellentia sua *praestantiaque* longe omnes multumque superet labores, λογιζομαι γαρ οτι ουκ αξια τα παθηματα του νυν καιρου προς την μελλουσαν δοξαν, Rom. VIII. v. 18; 3) parati sint honores ac decreti *vniuersis ac singulis*, quot flagrant desiderio tam beatae sortis, ων αποδωσει ο κυριος πασι τοις ηγαπηκοσι την επιφανειαν αυτου, 2. ad Timoth. cap. IV. v. 8; 4) instructus sit homo per Dei gratiam *viribus*,

* in *Bibl. illustr. ad h. l.*

*bus*, iisque sufficientibus bono operi, non minus praeclare inchoando, quam plane perficiendo, πεποιθως αυτο τουτο, οτι ο εναρξαμενος εν ημιν εργον αγαθον, επιτελεσει αχρις ημερας Ιησου Χριστου, ad Philipp. cap. I. v. 6; tandem 5) *immutabilis* stet sententia, αμεταμελητα γαρ τα χαρισματα και η κλησις του Θεου, ad Rom. cap. XI. v. 29. Sectatores SOCINI, Numini sanctissimo mutationem consilii tribuentes, atque adeo electionis perennem constantiam praefracte negantes, simul electionem ad salutem et gratiam salutarem temere inter se confundentes, ratione expugnant, praeter CALOVIVM et SCHERZERVM, IOANNES HOORNBECKIVS* et SAMVEL MARESIVS.**

## §. XIII.

Tantam inesse sentio vim in verbis, ad quae explananda sis meam adhibui diligentiam, vt vel minimum eorum pondus habeat maximum. Dabo studiose operam in neruos argumentationum, ex singulis vocabulis proferendos.

ΙΔΟΥ. Tela *praeuisa* minus nocent, ac prouida rerum futurarum mens caute in quouis versabitur negotio. Fecit, quantum poterat, qui animo sane beneuolo, vt magnopere caueret, *praemonebat* hominem. E. si piger hic, nihil curans, nihil pensi habens, sui negligens fuerit officii, tum nullus erit *excusationi* locus. conf. IOANN. cap. XV. v. 22. MARCI XIII. 23. ιδου, προειρηκα υμιν παντα. Ergo βλεπετε.

ΕΡΧΟΜΑΙ. Seruum oportet *vigilando* exspectare Patrem familias, quando hic *aduentum* parat. Vid. LVC. cap. XII. v. 35. 36. 37. Et propterea tardat et commoratur Dominus, non vt differat promissum, sed vt otium nanciscа-



* in *Socinismo profligato T. I. Lib.* II. *cap.* 7.

** in *Hydra Socin. expugnata, Tom.* III. *Lib.* V. *cap.* 17.

ciſcamur ad praeparandas res neceſſarias, 2. PET. cap. III. v. 9. E. *vigilantes* tempore vtamur ſapienter.

ΤΑΧΥ Prudentia iubet mentem, quauis circumſpectione et adcurata conſideratione cauere, ne quid ſibi improuiſum atque inopinatum (per §. IV.) accidat. Qui ſemper promtus eſt et alacer, nihil illi euenire poterit vmquam opinione citius. E. *ſemper* vigilandum.

ΚΡΑΤΕΙ Quic. *robore* valet plurimum, is ſuae poenas dabit temeritatis et negligentiae. Et *quo largiores* ſunt ipſi *vires*, quo magis efficacia ſunt praecepta atque admonita, eo peccat atrocius, dum ſua poteſtate non recte vtitur, dum ſciens volensque ſe non componit ad nutum voluntatemque Domini. Conf. LVCAE cap. XII. v. 47. E. *forti animo* pugnandum eſt ac vincendum ſtrenue.

Ο ΕΧΕΙC Cuicunque data eſt rerum copia, nae ab illo maximam pro beneficio gratiam repetet fortunae molitor et effector. Vid. LVCAE cap. XII. v. 48. Et turpe eſt, deliciis otio deſidiaque perdere, vigiliis ſtudio et labore parta. Nihil tanto dedecore peius eſt, honeſtae vitae gloriam turpi morte maculare. E. decet virum bonum ac fortem *conſtantia*.

ΙΝΑ Quidquid agis, prudenter agas, et reſpice *finem*. Indignum eſt homine, recta ratione praedito, actionem ſuſcipere, et, quo tendat, non cogitare. E. non ſolum fortiter et conſtanter, verum etiam *ſapienter* decurrendum eſt in ſpatio.

ΜΗΔΕΙC Quo plura nobis imminent pericula, eo maiorem adhibere cautionem ac diligentiam debemus. Adeſt multitudo inimicorum. Indignum erit, a pari vinci aut ſuperiore; indignius, ab inferiore atque humiliore.

re. E. *multum* homo sibi caueat ab hoste, saluti suae bene prospiciens, vt *nulli* cedat violentiae, *nec vlla* aduersitate prosternatur. E. ne triumphum canat ante victoriam, etiamsi semel iterumque victor abierit, nondum adeo se in tuto collocatum esse sciat, vt nihil possit vltra cogitari. Ita sanguinolentis et ex acie redeuntibus dicitur: macte virtute esto!

ΛΑΒΗΙ Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. Quic! praemium, non prius accipiendum, quam in *vltimo* vitae temporisque momento, per oppressionem sibi *ereptum* perdit, is profecto damnum patitur, quod *resarcire* nemo valebit vmquam. E. *summo* studio, ad *extremum* vsque halitum continuando, ad obtinendam beatitudinem homo constans adnitatur!

ΤΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ Maxima illecebra est peccandi, impunitatis spes. Contra ea certissima *remunerationis* exspectatio, fortissimum praebet virtuti incitamentum. E. haud inuitus, sed *lubens*, cum maxima animi voluptate tuum facias officium, certo certius sciens, οτι ο κοπος σου ȣκ εςι κενος εν κυριω 1. ad Corinth. cap. XV. v. 58.

ΣΟΥ Nunc *tua* res agitur. *Suae* cuique vtilitati, quod sine alterius iniuria fieri potest, seruiendum est. Et se ipsum frustrari, profecto est extrema iniustitia. Nec te aliena saluum efficit fides*. Tibi hoc datum est, vt tuarum actionum Deo reddas rationem. Εκαςος ημων περι εαυτου λογον δωσει τω Θεω, ad Rom. cap. XIV. v. 12. E. iustus propriae felicitatis amor, *tuam* postulat industriam.



* vid. b. HENR. PIPPINGII *Diss. inaug. de fide aliena*, Viteb. habita.

# SECTIO POSTERIOR.

## §. I.

Cognouimus ex verborum enodatione, rem, de qua agitur, esse *constantem fidei confessionem*, qualis *deceat* hominem vere christianum (Sect. I. §. VII.) De hoc argumento partite, definite, distincte dicam, quae possum, non vt volo, sed vt me temporis angustiae cogunt. Euoluam, quae iam in quaestionem veniunt, praecipua: 1) quid sit *fides*? 2) quid *confessio* eius? 3) quid constans *confessionis perseuerantia*? 4) quae caussae, cur nos illa *deceat*?

## §. II.

*Fidem* descripturus, mitto de industria varias multumque inter se differentes, sed ab instituto meo alienas, vocabuli notiones. Tantum dicam breui, quantum ad *fidem diuinam* generatim explicandam facit.* *Fides* et *scientia* quodammodo conueniunt, quoad vtraque consistit in *cognitione veritatis*, satis *certae*, omnique exceptione maioris. Vbi enim credulum se praebet aliquis, et ratione siue infirma, siue omnino nulla, ad adsentiendum mouetur, ibi non *fidem* adhibet, sed vel leui probabilitate atque *opinione* ducitur, vel imbecilli animi atque anilis *superstitionem* prodit. Certam oportet esse firmamque veritatem, in qua *fides* sit innixa. Quam ob rem PAVLVS tantum sibi tribuit: ΟΙΔΑ ῷ ΠΕΠΙΣΤΕΥΚΑ, 2. ad Timoth. cap. I. v. 12.

§. III.

* Vt HVGONIS GROTII fert opinio, *fides in epistolis Paulinis, est existimatio magnifice sentiens de Dei potentia, iustitia, bonitate, et, si quid promiserit, in eo praestando constantia.* Quot et quantis laboret vitiis illa definitio, ad liquidum perduxit b. CALOVIVS in *Bibl. illustr.* N. T. *Tom. II. pag.* 10. De *fide*, quam nonnulli fingunt, *naturali*, erudite elaborata exstat disputatio, Praeside b. IO. FRANC. BVDDEO Ienae habita.

§. III.

Quum autem *veritates* non vnius sint generis, etiam *principia cognoscendi* sint admodum diuersa, hinc et *modus* cognitionis humanae non erit plane idem. Duo sunt *genera veritatum*. Quaedam nobis praesentes exsistunt, easque sentimus aut mente percipimus. Reliquae, a nostra intelligentia remotiores, aliena relatione ad nos veniunt. E. duo sunt *cognitionis principia*. Perspectum habemus aliquid atque exploratum, vel ex propria *mentis attentione*, vel ex *aliorum testimoniis* fide dignis.

§. IV.

In eo igitur distat Fides a Scientia. *Scimus* ea, quae *sensus et ratiocinatio* vnumquemque, qui sapit, docent. *Credimus*, quae idoneis *testimoniis* firmata ad nos perferuntur; *πιςεύομεν διὰ τὴν λαλιάν τινος*, IOAN. cap. IV. versu 41. 42. Et hoc est vnicum medium, ad notitiam illarum *veritatum* adquirendam, quae sunt *a nostra intelligentia remotae* (§. III.)

§. V.

E. quae *fidem* constituunt, haec sunt requisita: 1) vt res sit *vere* gesta; 2) vt sit certissimis monumentis *testata*. Prius si adsit, habemus *cognitionem*, quae est adcurata nostrae mentis ac perceptionis cum Obiecto, quod et quale *re vera* exsistit, conuenientia. Posterius, *adsensionem* efficit, quo nomine indicamus iudicium adfirmans, propter rationem, ad hoc veritatum genus adcommodatam, nempe auctoritatem *testimonii*.

§. VI.

Quod si accedat 3) quod res illa sit *bona*, imo et *nostra*, nobis plurimum profutura, atque ad nostros vsus destinata adeo, vt nobis *iure nostro* eam vindicare queamus, ex eo *fiducia* enascitur. Adde vnum: si *bonum* illud sit *perfectum*, *certum*,

*tum*, numquam periturum, *neque e nostra potestate eripiendum vmquam*; tum *firmam certamque* nanciscimur *fiduciam*. *Fiducia* enim nequidquam est aliud, quam propensio ad *bonum*, quatenus id *in nos* recipere, eodemque perfrui *nobis licet*, ita, vt in eo adquiescamus. Huius autem *fiduciae firmitas*, in *perpetuitate* boni, tam praestantis, tam aestimabilis, tota innititur.

## §. VII.

E. in tanta caussa, vbi de *veritatibus* aeque *certis* atque *vtilibus*, et *ad nos* pertinentibus, clara adsunt *testimonia*, in tanta, inquam, caussa, *fides* nostra tribus his absoluitur partibus: *cognitione, adsensu, fiducia*. E. *adsensus* sine *notitia*, eaque satis clara ac distincta, quam vocamus *explicitam*, aut omnino nihil est, aut temeraria superstitio. Turpe est, vt verbis CICERONIS vtar, cognitioni ac perceptioni adsertionem adprobationemque praecurrere. Omnibus in rebus, omnium maxime in diuinis, temeritas in adsentiendo errorque turpis est. Et profecto nerui atque artus sunt sapientiae, nihil temere credere.

## §. VIII.

Nemo vnus potest magis locuples esse rerum *testis*, quam DEVS, falli ac fallere nescius. In primis perditae salutis nostrae instauratio, *arcanis diuinae* benignitatis ac Sapientiae consiliis adnumeratur, σοφιαν Θεου εν μυστηριω 1. Cor. II. v. 7. μυστηριον κεκρυμμενον απο των αιωνων εν τω Θεω, ad Ephes. cap. III. v. 9. E. *humanae rationi*, sibi relictae, prorsus obscura atque ignorata sunt, vera hominis beatitudo eiusque fundamenta, α οφθαλμος ουκ ειδε, και ους ουκ ηκουσε, και επι καρδιαν ανθρωπου ουκ ανεβη, α ητοιμασεν ο Θεος τοις αγαπωσιν αυτον, 2. ad Corinth. cap. II. v. 9. E. spes verae ac sempiternae beatitatis, est ex genere illarum veritatum, quae a nostra intelligentia procul absunt (§. III.) E. non alia ratione, quam *testimoniorum* fide atque aucto-

auctoritate, in eius rei notitiam peruenimus (§. IV.) E. hanc veritatem non ſcientia, ſed *fide*, adſequimur ac tenemus (per eumd. §.)

## §. IX.

Is, qui *vnus* eſt ſalutis recuperatae *auctor*, ipſe *vnice* valet notam omnibus ac *teſtatam* facere ſuam de ſalute noſtra voluntatem. E. *teſtimoniis diuinis* opus eſt, alia non ſuppetunt, in negotio ſalutis noſtrae. Vid. I. IOAN. cap. V. verſu 7. 11.

## §. X.

Interpres mentis diuinae ac ſumma teſtificatio de ſalute hominum inſtauranda, non eſt, niſi *verbum Euangelii*, id vero non aliud, quam litteris mandatum. IOANN. cap. V. verſu 39: εκειναι εισιν αι μαρτυρουσαι: Conf. ad Gal. cap. I. v. 8. Hoc verbum eſt *verum*, imo ipſa veritas, IOAN. cap. XVII. v. 17. Eſt etiam *certum*, omni certius ſenſu atque experientia, I. PET. cap. I. v. 19. conf. v. 17. 18. Eſt non minus *bonum*, ſolatii plenum, *ſalutem* nobis nuncians *noſtram*, omni ex parte *perfectam perpetuamque*, Rom. I. 16. Epheſ. I. 13. Rom. VIII. 32. 2. Timoth. I. 12. vbi vim verborum, σωτηρια, ημων, υπερ ημων, μου, φυλαξαι, conſiderate velim ponderes. E. in veritatibus, ad ſalutem hominum veram ac perennem ſpectantibus, *fidei* noſtrae tres ſunt actus*: *cognitio*, *adſenſus*, *et fiducia*, eaque *plena* et *certa* quam maxime (§. VII.)

§. XI.

* Ex eo intelligitur diſcrimen, quod iam AVGVSTINVS, in tr. XXI. in Ioann. Eu. quodammodo obſeruauit, inter haſce loquutiones ſacras: πιστευειν TI, πιστευειν TINI, πιστευειν EIC TINA. Coniuncta leguntur illa tria, IOANN. cap. XIV. v. 10. ου πιστευεις OTI, κτλ. v. 11. πιστευετε MOI, v. 12: ο πιστευων EIC EME. Scilicet, credere ALIQVID, eſt *noſſe* rei *veritatem*, quod et qualis exſiſtit. Credere ALICVI, *adſenſionem* indicat, qua verbis ac *teſtimoniis* alterius fidem adhibemus. Credere IN ALIQVEM, firmiſſimam denotat animi *fiduciam*, in hoc, tamquam ſummo Bono, poſitam.

## §. XI.

Bonorum omnium fundamentum exhibet foedus gratiae, LVC. I. v. 72. 74. ad Hebr. VIII. 10. 12. 2. ad Corinth. VI. 18. comp. cum cap. VII. v. 1. Huius Sponsor est IESVS CHRISTVS, sanguinem profundens, ad Hebr. cap. VII. v. 22. Et *vnus* ille Mediator, 1. ad Timoth. cap. II. v. 5. 6. E. verba testimonii, quibus Numen propitium, saluti nostrae optime consulens, cogitata sua patefecit, si ad vnam Summam referenda sint, vniuersa CHRISTI promerita complectuntur. Audiamus ipsum de se loquentem: εκειναι (γραφαι) εισιν αἱ μαρτυρȣσαι περι EMOY, IOAN. cap. V. versu 39. In eamdem sententiam IOANNES pronunciat, in 1. epist. cap. V. v. 9. αυτη εϛιν η μαρτυρια τȣ Θεȣ, ην μεμαρτυρηκε περι τȣ YIOY AYTOY. Subiungitur ratio, versu 11. et 12. quippe quia veritates, de quibus testimonium DEVS dicit, ad *salutem* sempiternam spectant: αυτη εϛιν η μαρτυρια, οτι ZΩHN αιωνιον εδωκεν ημιν ο Θεος: atqui nulla est, sine *Christo*, salus: και η ZΩH EN TΩι YIΩι αυτȣ εϛιν.

## §. XII.

Vna veritas plures secum fert res circumstantes, caussas, partes, fines, effectus, adiuncta. E. datur veritatum cohaerentia, quarum ea est ratio, vt vna res alteri declarandae, illustrandae, confirmandae, amplificandae, inseruiat. Ea igitur, quae sunt necessario tamquam vinculo inter se connexa et apta, separare ac diuellere nobis non est integrum. Sic multa exsistunt, quae ad CHRISTVM bene cognoscendum requiruntur, tum antecedentia, tum comitantia, denique et consequentia. Ob eam caussam *fundamentum* doctrinae christianae, cum CHRISTO velut *lapide angulari* copulat PAVLLVS ad Ephes. cap. II. v. 20. Ipse Seruator noster, Apoc. cap. III. v. 8. laudat hominis fidem: οτι ετηρησας MOY TON ΛOΓON, *verbum meum*, de me testimonium

perhi-

perhibens, tenuisti, idque *integrum*, καὶ οὐκ ἠρνήσω ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΜΟΥ. *Nomen*, est signum, rei essentiam ac proprietates indicans, illamque ab aliis rebus distinguens. E. quodcunque ad personam, ad officium triplex, ad statum Christi vtrumque, pertinet, id vniuersum *nomine Christi* continetur. Et res ipsa loquitur. Tolle, si audes, doctrinas de imagine Dei, de nefaria hominis defectione, de peccato, de reatu eiusdem duplici, de communi generis humani miseria, de sanctitate, iustitia, sapientia, misericordia, quae in Deo insunt, de seruo hominis peccatoris arbitrio, de conuersione mentis ad Deum, de regeneratione, de iustificatione, de renouatione, et quae sunt reliqua; quid fiet tandem hoc pacto? Nonne ita plurimum de munere ac dignitate Mediatoris detrahes, diminuesque? Nonne satisfactionis, quam ex asse praestitit ille, et necessitatem et modum formamque, nec non fines, vsus, et consectaria, destrues? Nonne adeo vniuersam de IESV CHRISTO doctrinam, incertam mancam atque imperfectam efficere tentabis? E. aut ludunt in re seria, aut nesciunt quid somniauerint, qui *fundamentales*, vti vocantur, *fidei articulos* perangusté coarctando, multa praetermittunt, multa flocci faciunr eleuantque doctrinae christianae capita. Magno studio nihil agunt LATITVDINARII, vt et REMONSTRANTES, quorum conatus ita compresserunt strenui veritatis vindices, vt caussam prope desperatam praesidioque nudam prostrauerint. Sunt inter se connexae et aptae omnes doctrinae salutaris partes. Ergo aut vndique religionem tolle, aut vsquequaque conserua.

## §. XIII.

*Vtilitas* veritatum ex *fine* cognoscenda est atque aestimanda. Id enim vocamus vtile, quod est iustum *medium*, ad *finem* salutarem nos perducens. Istud medium si sit *vni-*

*cum*, et finis ſit *vltimus*, quorſum tendunt omnia, ſit *neceſſarium*. Veritas doctrinae de CHRISTO, diuinitus patefacta, eſt *medium*, quo recte prudenterque vtentes *ſalutem aeternam* adipiſcimur. 1. Timoth. II. v. 4. Praeterea nulla patet ad ſalutem via. Hoc conſilio monumentis litterarum mandatae ſunt res geſtae CHRISTI, *ινα πιϛευσητε οτι ο Ιησȣς εϛιν ο Χριϛος ο υιος τȣ Θεȣ, και ινα πιϛευοντες ζωην εχητε εν τω ονοματι αυτȣ.* IOAN. cap. XX. v. 31.

## §. XIV.

DEFINITIO I. FIDES, *eſt cognitio cum adſenſu et fiducia coniuncta* (§. X.) *ex verbo Dei, ſpeciatim Euangelio adquiſita* (per eumd. §.) *doctrinae de Ieſu Chriſto* (§. XI.) *omniumque veritatum ad Chriſtum pertinentium* (§. XII.) *qua fit, vt homo ad veram aeternamque ſalutem ſuam perueniat* (§. XIII.).

## §. XV.

Si quis ex *animi ſententia* ſermonem profert, et, quod *vere credit*, quod idoneis teſtibus *probatum et cognitum* recte iudicauit, *ſignis euidentibus* declarat, et ſapiente quidem *conſilio*, is *confeſſionem* edit ſuam. Itaque confeſſionis, ſi ea fuerit genuina, quatuor ſunt proprietates; reſpectu 1) *Subiecti*, vt ſit homo bonae mentis atque indolis; 2) *Obiecti*, vt ſit veritas, eaque perſpecta atque explorata; 3) *Modi*, vt ſit aperta mentis declaratio; 4) *Finis*, vt illa declaratio ſit prudentia, vtilitati et noſtrae et alienae proſpiciente, temperata. Haec igitur virtus, oppoſita habet vitia quatuor. Opponitur 1) ſcurrili *dicacitati*, leuitatis indicio, quando lingua praecurrit mentem, et multa, etiam ſi vere geſta ſint, inconſiderate tamen ac temere, ſine diſcrimine, ſine ratione et prudentia, palam diuulgat; 2) imprudenti *ſilentio*, ſi quis de veritate, libere et aperte pronuncianda, celat alios; alias enim, vbi clara adſunt rerum teſtimonia, vt verbis non opus ſit, ibi taciturnitas imitatur confeſ-

ſionem;

sionem; 3) astutae *dissimulationi*, qua veritas rei non omnino quidem reticetur, at subobscura dicendi ratione, data opera, non satis aperte profertur, et quasi velis quibusdam obtenditur; 4) turpi *mendacio*, quo negatur, quod est verum ac salutare, et viceissim, quae sunt falsa ac perniciosa, ac si essent vera, adfirmantur. Hinc ομολογειν, e regione verbi αρνεομαι collocatur, IOANN. cap. I. v. 20. Quando igitur Seruator optimus maximus seruo suo tantum tribuit laudis: ουκ ηρνησω το ονομα μου, id idem est, ac ωμολογησας *.



* Ομολογειν, esse nonnumquam verbum forense, cui hic aptandus sit sensus, vt *sponsionem*, siue *adstipulationem* denotet, HERMANNVS ALEXANDER ROELLIVS docet, *in Comment. in epist. ad Ephes. pag.* 313. Conf. viri clarissimi PETRI ZORNII *opusc. S. P.* II. *pag.* 240. De differentia autem *confessionis* et *professionis*, an et qualis forsitan sit illa, iam tempori parcens cum nemine litigabo. Leg. clarissimi viri, SAM. FLOR. RIVINI eleganter scripta dissertatio *de Professoribus veteris ecclesiae martyribus.* Nec me detinebit alia quaestio: vtrum agnoscendum sit aliquid discriminis inter μαρτυριαν atque ομολογιαν. PATRIBVS, qui honoris caussa vocari solent, aliquando in more positum fuit, vt *Martyris* titulo CHRISTVM ornauerint vnicum. Quam ob rem Martyres quosdam, istud dignitatis nomen a sese deprecatos fuisse, memoriae prodidit EVSEBIVS, *histor. eccles. Lib* V. *cap.* II. ηδεως παρεχωρουν την της ΜΑΡΤΥΡΙΑΣ προσηγοριαν τω Χριστω, τω πιστω και αληθινω Μαρτυρι (Apoc I. v. 5.) - - - ημεις δε ΟΜΟΛΟΓΟΙ μετριοι και ταπεινοι. Sic relata refert IO. CASP. SVICERVS in *thes. eccles.* Qui idem obseruat, inter Μαρτυρας, sensu latiori, et Ομολογητας, hoc interfuisse, quod *illi* fuerint, qui acerbissimos cruciatus, atque adeo ipsam mortem, pro gloria Christi sustinuerint; *hi* autem, qui Christi caussa tormenta quidem fuerint perpessi, etiam mori parati, tametsi postea eluctati ex illo periculo manserint superstites. Imo semel coram Magistratu veritatem confessi, tandem et omnes vere christiani, nomine *Confessorum* digni iudicabantur. CYPRIANVS *epist.* VII. seu *Lib.* I. *epist.* V. quae est ad Rogantium et caeteros Confessores missa: *qui*, inquit, *pacifica, et iusta, et bona, secundum praeceptum Christi loquitur, Christum quotidie confitetur.* Illam autem *Martyrum* et *Confessorum* distinctionem, non semper vsu venisse, vel vnum TERTVLLIANI testimonium nos dubitare non sinit. Ad cuius *librum ad Martyres*, IACOBVS PAMELIVS scite adnotat: *vel ex solo libri titulo patet,* Martyres *adpellari a Tertulliano non solum eos, qui torti essent et tormenta perpessi, siue viui siue defuncti, sed et eos, qui, vt torquerentur, inclusi*

## §. XVI.

Data est nobis facultas, sensa dicendo exprimendi, non in detrimentum, sed in emolumentum, vt nemini noceamus, cuiuis et nobis ipsis prodesse studeamus. E. veritas, aperte declaranda, debet esse aptum ad promouendam vtilitatem medium, nec maioris vtilitatis impedimentum, λογος αγαθος προς οικοδομην της χρειας, ινα δω χαριν τοις ακουουσιν, ad Ephes. cap. IV. v. 29. Nemo nescit, nisi qui omnia ignorat, taciturnitatem interdum eloquentia potiorem, interdum optimum ac tutissimum esse rerum gerendarum vinculum. Itaque omnino praecipit prudentia, vt, si res ita postulet, aut dissimulemus verum, aut tacendo supprimamus ea, quae tutius occultantur, quam manifestantur. Quae iam diu mota fuit, et quae recentiori aetate in primis IACOBO SAVRINO magnam attulit molestiam, controuersia, non a me intacta relinqueretur, nisi hac perfunctus opera mihi fecisset otium S. V. Abbas IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, *dissertatione theologico-morali de officio hominis christiani circa veritatem in dicendo.* Suo rem comprobat exemplo CHRISTVS, aeque tempestiue loquutus, atque opportune tacens, et amicis silentii imponens legem, MATTH. cap. XVII. v. 9. MARCI. cap. VII. v. 36; quamuis his ex locis et similibus, *disciplinae arcani* ius elici non posse, mihi certissime habeam persuasum. Sunt autem certe maxima, quae christiana fides secum fert *bona*, quibus omnes saeculi voluptates ac felicitates longe sunt inferiores. Αλλα μενουγε και ηγουμαι παντα ζημιαν

*clusi erant, quos peculiariter S. Cyprianus* Confessores *nuncupat.* Quod reliquum est, *doctrinam*, quae itidem est plana veritatis declaratio, eatenus a *Confessione* distare intelligo, quatenus *illa* ad statum *quietis*, *haec* ad difficillima *persequutionum* tempora, respicit. Ergo non frustra vtuntur pii Maiores nostri, in *Formula Concordiae*, hac saepius repetita dictione: *Credimus, docemus, et confitemur.* DOCEMVS, donec erimus felices, rebus pacatis, tranquillo animo. Etiam CONFITEMVR, quando adflictiore sumus conditione, turbulenta tempestate.

μιαν ειναι δια το υπερεχον της γνωσεως Χριϛȣ Ιησȣ, ad Phil. cap. III. v. 8. E. quando fidei confeſſio exigitur, loqui praeſtat, quam tacere. In tanta cauſſa, qua nihil eſt grauius, ita libenter confiteamur verum, vt non ſolum fateri, ſed etiam profiteri videamur.

## §. XVII.

Confeſſio eſt *declaratio* mentis, per *ſigna*, eaque ſatis *euidentia* (§. XV.). *Signa*, quibus mentem declaramus noſtram, et recte percepta cum aliis communicamus, ſunt *verba* et *facta*. Hiſce ſignis facta declaratio, *euidens* tunc erit, quando nullus in aliorum animis dubitationi locus relinquitur. Dubitatio oritur vel ex *ambiguitate* ſermonis, vel ex *contradictione*. E. ab omni declaratione, adeoque et confeſſione, abſit omnis et ambiguitas, et contradictio. Eſt autem *contradictionis* quaedam ſpecies, ſi, quod *ſermone* adfirmatum fuit, idem eodem tempore ac reſpectu *ipſo facto* pernegetur. Et noſtra, quam profitemur, fides, eſt ſancta, imo ſanctiſſima, IVDAE v. 20. Conf. ad Tit. II. 11. 12. E. ſanctitas integritasque vitae, a fide noſtra ſeparari nequit. Illa vitae probitas in opere magis, quam in ſermone conſiſtit, MATTH. cap. VII. v. 21. E. *fidei confeſſio* non tantum *ore* fiat, verum etiam *opere*. Iuſta eſt animaduerſionis ſeueritas: Θεον ομολογȣσιν ειδεναι, τοις δε εργοις αρνȣνται ad Tit. cap. I. v. 16.

## §. XVIII.

Confeſſio eſt declaratio mentis noſtrae ac ſententiae de eo, quod ſatis *perſpectum et cognitum habemus*. E. praeter veritatem rei, etiam cognitionis noſtrae veritas requiritur. Nam adſertio ſine ratione ac probatione, non tam confeſſionis, quam dicacitatis nomen meretur (§. XV.). Et *fidem* diuinam, explicita notitia, cum firmo adſenſu fiduciaque coniuncta, conſtituit (§. X. XIV.). E. *confeſſio* veritatis,

tis, ſpeciatim *fidei* ſalutaris, ſit *ſolida*, argumentis, fidem gignentibus diuinam, fulta, vt nihil ore proferamus ſine ratione, *ετοιμοι προς απολογιαν παντι τω αιτουντι ημας λογον περι της εν ημιν ελπιδος*, I. PET. cap. III. v. 15. Nolo equidem in me ſuſcipere cauſſam HENRICI DODWELLI de *paucitate Martyrum*, et, quae vir eruditus in hiſtoriarum monumentis inueniſſe ſibi viſus eſt, non ego ad examen reuocabo. At in foro conſcientiae ſi dicenda ſit ſententia, manifeſte conſtat, omnes rerum inſcios, rudes, et prorſus ſacrarum litterarum expertes, e cenſu teſtium veritatis delendos eſſe, ideoque forſitan multo minorem fore Martyrum copiam, quam vulgo exiſtimatur.

## §. XIX.

Confeſſio eſt veritatis ſatis exploratae declaratio *ex animi ſententia* (§. XV.). Et poſtulat ſignorum *euidentiam*, quae impeditur *ambiguitate* (§. XVII.). E. *ſincera* ſit, ingenua, atque ab omni fuco aliena. Cauendum igitur eſt maximopere, ne qua dicantur ambigue de rebus ad fidem ſpectantibus. Non tangam in praeſenti verendam potentum quorumdam hominum ſocietatem, aequiuocationum amantiſſimam, ob eamque cauſſam omnibus, quibus magis amica eſt veritas, vehementer odioſam. Etiam libellus *Interim*, ouo prognatus eodem, triſte praebet iſtiusmodi fraudulentae calliditatis exemplum. Deteſtabile vitium merito reprehendit noſtra *Form. Concord. Declar. art. IV: hoc ratum, certum et fixum eſſe debet, quod phraſes et propoſitiones illae - - - non ſint docendae, defendendae, pingendae, ſed potius ex eccleſiis noſtris, vt falſae*, et non ſincerae, *explodendae atque reiiciendae, quippe quae tempore perſequutionis (vbi* clara et perſpicua confeſſione *aduerſus omnis generis corruptelas et deprauationes articuli iuſtificationis maxime opus erat)* ex Interreligionis formula *renouatae promanarint*. Ibidem paullo antea obſeruatum

seruatum fuerat, ambiguitatem sermonis, in tanto religionis negotio, grauissimis litibus atque altercationibus occasionem dedisse: *haec controuersia initio tantum ex aequiuocatione vocabulorum occasionem sumsit.*

## §. XX.

Confessio est eius, quod vere *credimus*, publica declaratio (§. XV. XVI.) E. qualis *fides*, talis quoque sit fidei *confessio.* Fides est cognitio veritatum *omnium*, necessario ad Christi promerita pertinentium (per defin. I. §. XIV.). E. et confessio fidei sit *vniuersa*, vt integri veritatum systematis habeatur ratio. Incredibile dictu est, quanto in errore versetur, IOANNI LOCKIO viam parans THOMAS HOBBESIVS, vincula doctrinarum soluens, omnemque mouens lapidem, vt nobis persuadeat * *non esse, nisi vnum fidei christianae*

* in *Leuiathane, cap.* XLII. *et seq.* Sed nihil portat noui. Fuerunt iam AVGVSTINI aetate, *qui professionem fidei diminutam, et ad vnum hunc articulum*, credo, filium Dei esse Iesum Christum, *restrictam voluerunt, frustra prouocantes ad exemplum Philippi, eunuchum ad hanc breuem confessionem baptizantis, Act. cap. VIII. v. 37. nec non ad dictum illud, 1. Corinth. II. 2:* non statui, quidquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum. *Tanta autem semper fuit* PATRVM *religio, vt vnius articuli confessione minime contenti, integram perfectamque fidei formulam ab expetente sacrum lauacrum vnoquoque poposcerint.* Vid. IOSEPH. BINGHAM *origg. eccles. L. XI. cap. VII.* §. 8. Sane PAVLLVS ingenue declarans, se *Christum nosse, eumdemque in crucem actum, nihil praeterea,* hanc veritatem non vnicam nominat, sed primam omnium ac praecipuam, plura secum ferentem dogmata, quam ipse neutiquam aliis *diuinae* doctrinae capitibus, sed *humanae* tantum sapientiae argumentis, diserte opponit, versu 1. et 4. Non hoc dicit: nihil ad Christum christianamque religionem pertinere amplius, quam solam Ducis nostri mortem, quam in ligno crucis perpessus est ille. Haec si fuit mens Apostoli quam ipsi tribuunt dissentientes; cur non tacendo praeteriit reliqua? cur plura vrget flagitatque, per vniuersas epistolas, sua manu exaratas, tamquam scitu et creditu necessaria? cur Christi, etiam in vitam reuocati, nostraeque vitae recuperandae certissimam spem, tanto nobis commendat studio 1. Corinth XV. 17. 18 vt hac veritate in discrimen vocata, omnis fidei naufragium nos fecisse pronunciet? cur illorum error, qui necessario circumcidendos putabant recens ad Christum conuersos, tam atrox ipsi visus est, vt vel sola hac praeiudicata opinione

*nae articulum*, cuius caussa mortis periculum subire debeat Confessor, *nempe*, *Iesum esse Messiam*. Iure plane nullo ad partes suas vocat IOANNEM, in 1. epist. cap. IV. v. 2. 3. Non scribit Legatus Christi: quicunque profitetur, *venisse* Christum in carne. Sed ita: *venientem* in carne, id est, *totum Iesum*, adeoque *totam*, nulla mutilam parte, de IESV CHRISTO doctrinam. Digna sunt, quae contemplantes expendamus, verba IOAN. cap. I. v. 20: *και ωμολογησε, και ουκ ηρνησατο*. Ne quis suspicetur, *ταυτολογιας* vitio laborare sermonem, distinctionem vocum, quae prorsus idem dicere videri poterant, explanabo. Scilicet regulam nobis ministrat ars bene cogitandi: *propositio negans, plus valet, quam sola adfirmans*. Indicabo potestatis amplitudinem. Est huiusmodi loquutio 1) *emphatica*, grauius rei pondus addens, nosque ita faciens *certiores*, vt res extra omnem dubitationem sit posita, vt praeterea huius rei ab aliis, haud aeque magnis, diuersitas atque *eminentia* nobis conspicienda detur. Est 2) *elenchtica*, ita enim, dum ad veram bonae caussae cognitionem nos ducit, errorem simul redarguit oppositum. Est 3) *excludendi* vim habens, omni modo omnique ex parte rem ita comparatam esse, multo certius docens, quam nuda fit adsertione, de qua inter omnes constat, vno posito, nondum plane excludi, nondum penitus negari alterum. Est 4) *relatiua*, aut, si fas est ita loqui, *respectiua*, siue arcani nonnihil secum ferens, siue apertius dictum alibi nobis in memoriam

nione Christum omnino perdi adsereret? ad Gal. cap. V. v. 3. 4. Ad Eunuchum illum quod attinet, is credere se fassus est, quod ipsum docuerat Philippus. Atqui *multa* fuerunt, quamuis ad *vnam summam* referenda, de quibus sermonem exposuerat Legatus Christi: *αρξαμενος απο της γραφης ταυτης ευηγγελισατο αυτω τον Ιησουν*, Act. VIII. 35. At *ευαγγελιζειν* est, multa praedicare de Christo, ΠΑΣΑΝ *την βουλην του Θεου*, ac nihil praetermittere, ΟΥΔΕΝ *συμφεροντων*, interprete PAVLLO, Act. XX. 20. 27. E. *plura* sunt, vniuersam de Iesu Christo, *vnico* salutis fonte, doctrinam constituentia.

riam reuocans. Iam videamus, quam sint aptae et conuenientes, quas ita praestruxi obseruationes, ad illustrandam hanc dictionem: ωμολογησε και ουκ ηρνησατο. Sapienter monet ADOLPHVS FRIDERICVS LAMPIVS *: *additamentum hoc singularem habere emphasin, vt et* παρρησια *Ioannis in praesentissimo confessionis periculo, et in confessione constantia, declaretur.* Veniam mihi exorabo, vel meam tandem huc conferendi symbolam. Praeter enim istud, quod propositionis *negantis ad aientem accessio* 1) eam certe in se habet *emphasin*, quam opera non inani ibi quaesiuit vir doctissimus; vim quoque nanciscitur 2) *elenchticae* seueritatis, quippe qua in pessimos aliorum mores animaduertitur. Supponit sanctissimus verborum auctor, esse peruersam multorum consuetudinem, qui non habeant religioni, aut astute dissimulare verum, aut penitus negando mentiri. Horum de grege non erat Ioannes. Imo vero tanta erat praeconis, Christo viam parantis, pietas, vt forti ac perpetuo animo ingenue profiteretur ipse veritatem. Huius igitur virtus dum laudes suas fert promeritas, eo ipso aliorum, qui in contraria ruunt, leuitas animi, velut tacita reprehensione tangitur. De quo Ioannes non poterat accusari crimine (αυτος ουκ ηρνησατο) id sibi dictum sciant perfide agentes, quibus non est tanto in negotio mens sibi conscia recti. Praeterea tanti aestimandus est additae negationis valor, vt 3) *excludat* omnem defectum, omnem etiam oppositi suspicionem. Non omnis fidei confessio est sincera, pura, integra, ac talis omnino, qualis debebat esse. Sunt, qui verum fatentur quidem, at aliqua tamen parte celare didicerunt, vtpote mentalibus, quae vocari solent, reseruationi-

 bus

* Id tribus saltem verbis tetigit vir eximie doctus, in *Bibl. Brem. class. I. fasc. V. pag. 712. not.* (b); magis autem planum in suo *in Ioann. Euang. Commentario* se facturum promisit, quod et praestitit egregie.

bus operam dantes. Αληθειαν ore proferunt, quousque placet, sed non *integram* veritatem, ε ΠΑϹΑΝ αληθειαν, conf. MARCI cap. V, v. 33. Num veri fiat simile, etiam Ioannem ita astutam vapido sub pectore gestasse vulpem? Absit longissime! Candidus ille exstitit veritatis confessor, nihil in mente occultans, nihil faciens reliquum astute reticendo, imo ne dissimulando quidquam. Iterum iterumque interrogatus, pergebat respondere semper, cuius erat maxime conscius, omnique ex parte dicere, quod res erat. Ipsum igitur *confessionis actum* exprimit historiae sacrae conditor *adserendo* (ωμολογησε); eiusdem autem *sinceritatem ac perfectionem* laudat *remouendo* ab eo omnem contrarii suspicionem (και ουκ ηρνησατο). Tandem ex conditione illorum temporum illiusque loci coniectura nobis enascitur haud vana; verbis arcanum subesse 4) *respectum*, ad callidos istos sceleratosque homines, in quorum conspectu adstans, testem veritatis sese praestitit ingenuum hic Messiae nuncius. Quippe *οι απεσαλμενοι ησαν εκ των Φαρισαιων.* Id certe non frustra memoriae prodidit scriptor sacer, v. 24. Nunc recordari iubemur, quales fuerint, ex scholis Pharisaeorum prodeuntes, quibus in faciem exprobratur exsecrata in Deum perfidia: ΥΜΕΙϹ δε τον αγιον και δικαιον ΗΡΝΗϹΑϹΘΕ, Act. c. III, v. 14. Talis nec erat Ioannes noster, nec videri volebat. Hic non imitabatur saeculi mores, non auram captabat humanam, non metuebat tritum istud: veritas odium parit et contemtum. Huic magis amica erat veritas.

## §. XXI.

DEFIN. II. CONFESSIO FIDEI *est declaratio mentis animique sententiae* (§. XVII.) *sincera* (§. XIX.) *ac solida* (§. XVIII.) *sermone atque opere* (§. XVII.) *de veritatibus omnibus, ad Christum spectantibus* (§. XX.) *vt ita nostrae ac sociorum saluti consulamus, nosque tantas veritates pluris facere, quam cito transituram mundi gloriam, adpareat* (§. XVI.).

§. XXII.

Qui doctrinam profitetur, quam Domino suo ac Seruatori acceptam refert, illi constanter ac perpetuo placeat hoc consilium, ille ad id adnitatur semper, vt bene coeptam rem perseueranter tueatur. Haec mentis *Constantia*, est magnitudo ac robur animi, caussam aeque *bonam*, ac *magnam et arduam*, firme grauiterque comprehendentis, atque ita permanentis in veteri sententia, *certis rationibus nixa*, vt nullis *malorum irritamentis* se de ea demoueri ac depelli patiatur.

§. XXIII.

Necesse est igitur, vt 1) *res*, quam constanter tenemus, sit *bona* et iusta; iniusta enim ac noxia, abiicienda citius, quam retinenda est (το καλον κατεχετε, 1. ad Thessal. c. V. v. 21.) Oportet fieri 2) vt *momenta rerum* atque officiorum diligentissime perpendamus. Nam minus bonum maiori anteponere, animoque ad rem parui pretii intento, praestantioris conditionis iacturam facere; hoc si non est, inconsiderate agere, nescio quid sit tandem. Ea de caussa non possum consentire cum IOANNE PEARSONIO, inclyto viro, cuius haec sunt verba *: *cum fidei obiectum infallibiliter* VERVM *praesupponatur, atque a credentibus omnibus pro tali habeatur, veritatisque sit, non latere, sed lucem potius optare;* VEL SOLVM HOC *sufficere posset, ad Confessionem fidei nostrae vrgendam, si nullo alio argumento duceremur.* Ego vero *vnam* hancce considerationem, tanto negotio haud parem existimo. Finge enim, nondum certo constare, istam *veritatem* pondus in se habere *maximum*, esse permagno aestimandam, eminentem, et quibusuis terrae amoenitatibus commodisque superiorem (υπερεχον της γνωσεως τȣ χριστου, ad Philipp. c. III. v. 8.) tunc profecto grauiora homo praeuidens infor-

 tunia,

* in *exposit. Symb. apostol. art. I.*

tunia, vel dulciora exſpectans gaudia, facile declinaret a propoſito. Veritati, quamuis *euidens* ſit illa et luce clarior, ſi ſtatuendum fuerit aut nullum aut *vile pretium*, vbi noſtra parum vel minime interſit; quis foret tam inſipiens, vt propterea capitis ſubiret periculum? Requiritur 3) vt homo de rei tantae veritate atque excellentia ſit *certiſſime perſuaſus, argumentis ſat idoneis firmisque*, tamquam inuictis armis inſtructus (ινα επιγνως λογων ιτην ασφαλειαν, Luc. cap. I. v. 4. εν πληροφορια πολλη, 1. ad Theſſal. I. 5.) Quo pacto optime diſcernuntur, cenſeo, binae voces, a fortitudine athletarum arceſſitae, εδραιοι, αμετακινητοι, 1. ad Corinth. XV. 58. primum eſtote εδραιοι, *certo ſcientes*, quod verum eſt et ſalutare, adeoque firmum fundamentum ac radices altiores habentes; deinde ſua ſponte conſequetur, vt impendentibus procellis *immota maneat* mens veſtra, vt, quod recte credentes adfirmatis, in eo perſeueretis, αμετακινητοι. His demum accedere debet 4) vt *tentationibus* homo exerceatur, variisque *malorum irritamentis* impetus fiat in mentem bonam et candidam. Quod enim ventorum fluctuumque vi agitatum, nihilo minus ſuam ſeruat conditionem, id demum iure dicitur firmum ac ſtabile. Vid. MATTH. cap. VII. v. 25. 27. Eo reſpectu conſtantia fidei adpellatur υπομονη, LVC. VIII. 15. cui opponitur αποςασια εν καιρω πειρασμου, ibid. v. 13. vt et υποςολη, ad Hebr. X. 38. 39.

## §. XXIV.

E toto, quod aiunt, coelo diſtat *Conſtantia* 1) a *pertinacia* * perſeuerantiae finitima, qua fit, vt homo vel *in errore*

* Legatur, at cum grano ſalis, PETRI BAELII *dictionaire hiſt. crit.* ad voc. *Mahomed*, item, *Marcion*. IVSTVS LIPSIVS *de conſtantia Lib. I. cap IV.* poſtquam hanc dedit definitionem, tametſi rei haud ſufficientem: *Conſtantiam adpello rectum et immotum animi robur, non elati externis aut fortuitis, non depreſſi*; eamdem ita explicat: *Robur dixi, et intelligo firmitudinem inſitam animo non ab opinione, ſed a iudicio et recta ratione;*

re permaneat malamque defendat caussam, ab illa mente nolens desistere (tales sunt σκληροτραχηλοι, αντιπιπτοντες τω πνευματι, Act. VII. 51.) vel pro re *nullius momenti*, tamquam pro aris et focis certet, neminis voluntati nec rationi obsequens, suae semper opinionis tenax; 2) a temeraria *superstitione*, si quis rerum omnium inscius ac rudis, id, quod nondum ipse satis exploratum habet, sed a Maioribus acceptum, sine ratione tuetur, et, quam semel amplexus est sententiam, siue veram siue falsam, *idoneo cognitionis fundamento carens*, numquam deserit (μη νοουντες μητε α λεγουσι, μητε περι τινων διαβεβαιευνται, 1. ad Timoth. I. 7.); 3) ab *audacia*, quando aliquis aut secure dormiens, nihil periclitatus, nihil expertus, suis *nimium tribuit viribus*, aut inconsideratus, nulla vrgente necessitate, *se in pericula ipse coniicit;* cuius vtriusque prauae indolis reus factus est PETRVS, vid. MARC. c. XIV. v. 29. 30. 31. et postea versu 54.

§. XXV.

Constantia fit manifesta in *tentationibus*, et his quidem, quae ad debilitandam, infringendam vacillandamque, mentis stabilitatem tendunt (§. XXIII. n. 4.) Tales profecto non sunt *diuinae*, quippe quae ita comparatae sunt, vt illis probetur, augeatur, et corroboretur fides, ο γαρ Θεος απειραστος εστι κακων, IAC. I. 13. E. intelliguntur a malo Genio excitatae, quae sunt *irritamenta malorum* (§. XXII.). Horum duo sunt gene-

*tione; Exclusam enim ante omnia volo* PERVICACIAM (*siue ea melius* PERTINACIA *dicitur*) *quae et ipsa obstinati animi robur est, sed a superbiae aut gloriae vento; et robur etiam dumtaxat in vna parte: deprimi enim haud facile tumidi isti et peruicaces possunt, facillime attolli.* Haec ille. Nolo falcem meam in alienam messem immittere, et subtilitatem indagare criticam, quae *peruicaciam* de verbo, *vinco*, deriuat, aduersantibus prosodiae legibus. Hoc explorate perceptum est, quod *peruicacia* frequentius in bonam, quam malam partem vertitur, vt sit *constantiae*, non *pertinaciae* συνονυμον. Nota est TACITI dictio: *recti peruicax, constans aduersus metus.*

genera: Aut magnae *pollicitationes* ambitiosi honoris, et opum, et foedae voluptatis; aut truculentae *comminationes*. Fortis et constantis animi est, non perturbari in rebus asperis. At non minor est virtus, sibi temperare, quo minus voluptas mentem ex sua sede et statu dimoueat. E. constans fidei confessor pari stare debet fastigio in vtraque fortuna, secunda non elatus, non depressus aduersa. Vtrumque indicare mihi videtur PAVLLVS: ουτε ΥΨΩΜΑ, ουτε ΒΑΘΟΣ, δυνησεται ημας χωρισαι κ.τ.λ. ad Rom. VIII. 39.* Scio equidem, quosdam haud de vulgo interpretum, per υψωμα, viros in amplissima dignitate constitutos, per βαθος, infimo loco natos haerentesque et nullius numeri homines, intelligere. Vid. b. IO. CHR. WOLFII *curae ad h. l.* Enimuero, vt taceam, huius significationis nullum me sacris in litteris inuenisse exemplum; hoc vnum iam prae me fero, quod principes homines, auctoritate valentes plurimum, inter αρχας siue δυναμεις, de quibus antea mentionem fecerat Apostolus, locum occupant. Oportet igitur aliquid, ab illis seiunctum, significari. Nimirum, vt υψωμα de *eminentia fortunae* praedicatur in graeca versione IOBI cap. XXIV. v. 24; sic βαθος de profundis *calamitatibus* adhibetur non raro,

* Eo vsque vestigia sequor lubens celebrati Doctoris MATTH. HENRY, qui ita hunc in locum commentatur: *Nor Height, nor Depth) Neither the Height of Prosperity and Preferment, nor the Depth of Adversity and Disgrace.* Vltra autem progressum desero: *Nothing from Heaven above, no Storms, no Tempests; nothing on Earth below, no Rocks, no Seas, no Dungeons.* Ita vero duo sensus, alter proprius, alter improprius, vni impertitur vocabulo in eodem loco, quod ne fiat, lege cautum est. Accedit, quod coeli tempestas a Deo vnice prouenit, ideoque *diuinis* siue beneficiis, siue *tentationibus*, adnumerari meretur; has autem non ad prosternendam fidem, sed ad confirmandam ac sustentandam, aptas esse, in §pho praemonui. Itaque nec THEOPHYLACTO, nec reliquis, quorum ille refert sententiam, adstipulari possum: ουτε υψωμα, τουτεστι, τα εν ουρανοις, ουτε βαθος, τουτεστι, τα εν τη γη, ουτε δοξα, ουτε αδοξια. Τινες δε, υψωμα, την βασιλειαν των ουρανων (mira sane opinio!) βαθος δε την αποτυχιαν ταυτης νοουσιν.

raro; e. g. Ps. CXXIX. (sec. hebr. CXXX.) versu 1; quem ad modum ipse PAVLLVS την κατα βαθος πτωχειαν, nominat 2. ad Corinth. VIII. 2. Bene CHRYSOSTOMVS*: ȣ το εις το ΒΑΘΟΣ ΚΑΚΩΝ ελθειν, δεινον, αλλα το κεισθαι μετα το ελθειν. In primis ad historiam tentati IESV, per tot discrimina rerum, hinc per βαθος, in deserta solitudine, fame vt probro obiecto lacessiti, inde per υψωμα, fortunae ludibriis impugnati, vbique tamen semper victoris, respexisse ministrum Eius, non est mea opinatio, nam res ipsa loquitur. Conf. epist. ad Hebr. cap. XII. v. 1. et 2.

## §. XXVI.

Vt perstet aliquis in sua sententia, non pertinax, sed vere constans (§. XXIV. num. 1.), oportet eum *argumentis conuictum* esse de *momento* rei grauissimo, ac de *praestantia Boni*, quod adeo sancte tenet (§. XXIII. n. 2. et 3.). Praestans dicitur bonum, quod reliqua aut continet, aut superat. Talis boni eminentia, probe cognita ac perspecta, animum efficit sua sorte *contentum*. Ita contentus, nec adpetens erit minoris gloriae, nec timore leuioris mali perculsus. Contentum esse Bono vero, praestante, recteque iudicato, haec est *vera animi tranquillitas*. Boni, tam optabilis ac praestantis, conseruandi caussa, vtramque despicere ac pro nihilo habere fortunam, *constantiae* virtus est (§. XXV.). E. *fundamentum constantiae*, est vera *animi tranquillitas*. *Summum* Bonum, omnibus numeris absolutum, non est, nisi vnum, CHRISTVS: συν αυτω τα παντα ημιν χαριτεται ο Θεος, ad Rom. VIII. v. 32. E. *perfecta* animi *tranquillitas*, non aliunde, quam fide in Christum adquiritur, MATTH. cap. XI v. 28. 29. E. haec tanta mentis tranquillitas, mentis, inquam, abundandantia rerum omnium in vno Christo positae, *maximam* gignit perpetuamque *constantiam*. Classicum exstat dictum

 in

* *Homil. XXIV. in Actus Apostol.*

in ep. ad Philipp. c. IV. v. 11. 12. 13. vbi 1) firmamentum ac *robur* sibi tribuit Apostolus, idque non exiguum, παντα ισχυω. 2) illud aperte declarat, fortem se praestans ac consideratum, *non minus in secunda, quam in aduersa fortuna*, omnia aequo perferens animo, και περισσευειν, και υστερεισθαι: 3) *fundamentum*, in quo tanta consistit firmitas, iactum esse ostendit *tranquillitate animi*, dum se didicisse profitetur sorte sua contentum viuere, εν οις ειμι, αυταρκης ειναι: 4) huius *tranquillitatis caussam* explicaturus, summum vocat Bonum, εν τω ενδυναμουντι με Χριστω.

## §. XXVII.

Caussa magna et grauis est, vel *in se* spectata, vel ratione *consequentiarum*, quae sunt inde metuendae. E. *momentum* veritatis, perseueranter propugnandae, non minus *consectariis*, quam interna *rei dignitate*, metiamur, necesse est. Qui fortem et ingenuum se praestat virum, is ab omni sibi caueat actione, quaecunque aliquam leuitatis *speciem* prae se ferat, vel *offendiculum* infirmis praebeat mentibus, vel clandestinis *aduersariorum consiliis* insidiisque patentem monstret viam. Principiis obsta, sapienter cogitans, ex paruis saepe magnarum rerum momenta pendere. Huiusmodi sunt, quae dicuntur, *Adiaphora;* de quibus PAVLLVS in hanc pronunciat sententiam: ουδε προς ωραν ειξαμεν τη υποταγη* ad Gal. II. v. 5. Addit rationem: ne *libertatem*, Christi beneficio nobis datam, prodidisse et proiecisse videremur, v. 4. 5. Depugna potius, quam seruias. E. constans Euangelii confessor omnem adhibeat diligentiam curamque, vt, quod ecclesiae arbitrio ac potestati relictum est, id, vrgente maleuolorum astutia, sibi eripi non patiatur, quum peri-

* Textus sinceritatem a quorumdam suspicione vindicatam vid. in I. C. WOLFFII *curis philol. crit. in h. l.*

periculum ſit, ne a tam tenui initio maiores in dies fiant progreſſus. Proinde Maiores noſtri ſempiternae memoriae, in *Form. Conc.* eiusdemque *Declaratione, artic. X.* deciſionem fecerunt, rite formato controuerſiae ſtatu: *num perſequutionis tempore, et* IN CASV CONFESSIONIS, *etiamſi aduerſarii nobiſcum in doctrina conſentire nolint, nihilo minus ſalua conſcientia aliquae abrogatae caeremoniae, quae per ſe indifferentes, et a Deo nec mandatae nec prohibitae ſint, poſtulantibus id et vrgentibus aduerſariis, iterum in vſum reuocari poſſint.*

## §. XXVIII.

Virtus *Conſtantiae* ab *audaciae* crimine ſolicite ſecernenda eſt (§. XXIV. num. 3.). E. conſtantis animi eſt, non inferre ſibi ipſi vim ac perturbationem, ſed aliunde illatam perferre ac vincere. Seruator optimus maximus, non ſolum tolerantiam dolorum, verum etiam prudentiam, ad euitanda pericula adhibendam, ſuis commendat amicis, MATTH. cap. X. v. 16. 17. Quare nimium atque intempeſtiuum multorum feruorem, *vltro* ſe flammis ferroque offerentium, ac ſemet ipſos in extremum praecipitantium diſcrimen, non in virtutibus ponendum arbitramur. De *fuga* autem *in perſequutione*, an et quousque illa liceat, de quo argumento iam diu TERTVLLIANI, AVGVSTINI, ATHANASII aetate magnis animorum motibus concertatum fuit, ingens foret ad dicendum materia. Haec quaeſtio, ſi quavmquam, caute et circumſpecte tractanda, variisque limitanda regulis, prolixiorem poſtulat operam, quam mei non fert inſtituti ratio. Interea cum fructu euolui poterit b. CHRISTIANI KORTHOLTI de *perſecutionibus eccleſ. primit.* liber, *cap.* VIII. Haec nobis ſuprema lex eſto: ſi quis in periculum adducatur, vbi alterutrum ſit neceſſe, aut aſpera quaeuis pati ad internecionem vsque, aut ſeruandae vitae ac felicitatis terrenae gratia, fidem negare, tunc e duo-

bus malis minus eligere, et mortem malle perpeti, quam Seruatori suo nuncium mittere, constantiae erit documentum.

§. XXIX.

DEFIN. III. CONSTANTIA IN CONFESSIONE FIDEI *est magnitudo ac robur animi* (§. XXII.) *de veritate et momento doctrinarum sacrarum maximo certissimis argumentis conuicti* (§. XXVI.) *ideoque perseuerantis in sententia aperte declaranda, vt nullis irritamentis de ea se depelli patiatur* (§. XXV.) *et ne in minimis quidem aduersariorum molitioni cedat* (§. XXVII.).

§. XXX.

Reliquum est, vt virtutem, definitione explicatam, nos omnino *decere*, argumentis demonstrem. DECORVM, quod alias auctorum vsu a *iusto* et *honesto* quodam modo disiungi solet, nunc sensu latiori accipio, significans hac voce *actionem lege diuina praeceptam, certo cuidam hominum statui congruentem.* Per *statum* autem intelligo *singularem conditionem, qua vnus altero vel inferior est, vel praestantior dignitate.* Optima eorum est conditio, qui fide in Christum nobilitati, sapientia gentibus antecellunt; quibus ideo dedecori foret, mores imitari profanos, καθως οι λοιποι οι μη εχοντες ελπιδα, 1. ad Thess. IV. 13. Viuant ergo, et consumant vitam, ως πρεπει αγιοις, Eph. V. 3. α πρεπει τῃ υγιαινουσῃ διδασκαλιᾳ, ad Tit. cap. II. v. 1. Fidem perseueranter profiteri nemo ante potest, quam praeditus sit fide, atque ita in ordinem christianum cooptatus. Vt credere discant homines perueniantque ad veritatis cognitionem, haec quidem est propitia in vniuersos ac singulos Dei voluntas, 1. ad Timoth. II. 4. At confiteri fidem forti animo, id sibi datum sciant, qui iam sunt vere credentes et confirmati. Est ergo constans fidei confessio, *actio decens homines christianos, quatenus sunt tales, illorum propria, statui Christianismi conueniens, atque a Domino imperata.*

*perata.* Nulla autem exſiſtit virtus chriſtiana, quin ad tria Obiecta, ad Deum, ad nos, ad ſocios vitae, ſiue directe, quod dicitur, ſiue indirecte, ſimul reſpiciat. Ergo hanc etiam virtutem triplex poſtulat officium, erga *Deum*, erga *ſemet ipſum*, erga *alios.* Recte igitur IO. PEARSONIVS *: *confeſſionem*, ait, *fidei edere neceſſe eſt, tum reſpectu Dei, eam iubentis perque eam glorificati, tum reſpectu noſtri, praemium inde reportaturorum, tum reſpectu fratrum noſtrorum, qui inde confirmantur.*

§. XXXI.

Officiorum, quae Deo debemus, omnium primum eſt: vt ad Eius nutum voluntatemque tota mente nos componamus, eum, vtpote *ſummum Bonum, diligentes ſuper omnia.* Atqui hoc ipſum conſtituit fundamentum conſtantiae in fide tenenda, conſtanterque et libere pronuncianda (§. XXVI.). Qui religionis aperte declarandae cauſſa, quaeuis dura tolerare, quasuis ſaeculi delicias aſpernari et reſpuere paratus eſt (et haec eſt conſtantiae virtus §. XXV.) nae is luculenter oſtendit, ſe nulla in re magis delectari, quam in Chriſto, per quem vnum facillimus eſt ad patrem placatum aditus: ȣτε ὑψωμα, ȣτε βαθος, δυνησεται ημας χωρισαι απο ΤΗΣ ΑΓΑΠΗΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ της ΕΝ ΧΡΙΣΤΩΙ ΙΗΣΟΥ, ad Rom. VIII. 39. Itaque inter ſe connexa et apta videmus CHRISTI verba, quae leguntur MATTH. cap. X. Scilicet, quod ibi v. 38. adſeuerat ille: ὁ ΦΙΛΩΝ πατερα η μητερα (ετι δε και την εαυτου ψυχην, add. LVC. cap. XIV. v. 26.) ΥΠΕΡ ΕΜΕ, ȣκ εςι μȣ αξιος, id neutiquam eſt noua propoſitio, ſed continuatio ſermonis et ratio ſuperiori ſubnexa, v. 32. οςις ΟΜΟΛΟΓΕΙ εν εμοι εμπροσθεν των ανθρωπων κ. τ. λ. E. conſtans fidei confeſſio continetur *primo praecepto*, omnium maxime diligenter curando. E. in errore verſantur SOCINI ſectatores, dum *nouis legibus*, quibus mandata diuina Chriſtum auxiſſe fingunt, et *ſepara-*



* in *expoſit. Symb. Apoſtol. art. I. p. 21.*

tim quidem *ab eo traditis*, has quoque adnumerant, quae *ad mundi contemtum, ad animi constantiam, ad patientiam* spectant*. Veram religionem cum falsa, et cum mundi caritate constantiae gloriam commutare, semper fuit contra vetitum perfidia, ideoque iudaicae reipublicae custodes, qui praesidem sancte Deum venerati sunt, criminis αποστασιας reos poena adfecerunt grauissima **.

§. XXXII.

Secum habitans homo, id sibi datum intelligit, vt omni cogitatione curaque in SVAM incumbat salutem obtinendam. Hanc vero non consequitur vmquam, ac magno conatu nihil se egisse suo damno experitur, nisi in hanc ingrediatur viam: καρδια πιστευεται εις δικαιοσυνην· στοματι δε ομολογειται εις σωτηριαν, ad Rom. c. X. v. 10. Habet huius dicti enodatio aliquid difficultatis. Duo sunt, quae in controuersiam vocantur: 1) quo iure *virtus* confessionis inter *caussas salutis* numeretur? 2) quo pacto talis inter *iustitiam*, et sempiternam *beatitudinem* statuatur differentia, vt prior illa, *fidei* tribuatur; haec posterior, *confessionis* effectus nominetur? Rem dilucide perspicueque expediam. *Iustus* fit homo, simul atque vere credit in Christum. Ad *beatam* autem vitam adire, non ipsi prius licet, quam functus fuerit fato. E. *fides* vera, non qualiscunque, sed *perpetua*, saluum efficit hominem, Apoc. II. 10. *Perpetuitas* fidei, *tentationibus* explorata cognoscitur (§. XXV.). Qui nec pudore metuque deterritus, nec promissionibus voluptatum inescatus, ex abundantia cordis loquitur, ac difficillima tempestate, quaeuis sustinens pericula, *etiam moriens*, suam profitetur fidem, is acerbissimas *vicit tentationes*. E. eius *probata* est, vtpote *constans, fides*. E. aeternum fit beatus,

* in *catechesi eccles. Polon. Sect. VI. cap. II.*

** vid. IO. SELDENI *de Synedriis veterum Hebraeorum, L. III. cap. V.*

tus, non propter confessionem, sed per *fidem*, quam *perpetuam* esse *declarauit* eo, quod ad *mortem* vsque illam professus est. Eamdem in sententiam *Apolog. Aug. Conf. art. IV.* pronunciat: *Cum Paulus inquit, corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem; hic fateri aduersarios existimamus, quod confessio ex opere operato non iustificet, aut saluet, sed tantum propter fidem cordis. Et Paulus sic loquitur, quod confessio saluet, vt ostendat,* QVALIS FIDES *consequatur vitam aeternam, nempe* FIRMA et EFFICAX *fides.*

## §. XXXIII.

Hominis est officium, cummaxime christiani, ALIORVM inseruire commodis, et, quantum valet, ad fidei suae salutisque societatem neminem non perducere. Exempla sunt fortissima virtutis incitamenta (conf. ad Hebr. c. XII. v. 1.) et fides, quam diu in corde lateat, nullum feret fructum reipublicae; proderit autem plurimum, si in publicum prodeat aperta declaratione, et ore, et opere. Deus vult *omnes* fieri beatos. E. et nostrum postulat officium, vt *omnium* consulamus saluti, vt emolumento omnibus, nemini detrimento simus. E. male distinguit, vbi tanta agitur caussa, MARTINVS BECANVS * inter *personam publicam, et priuatam,* decernens, si *priuata* sit persona, illo vt reddat fidei suae rationem, nulla lege teneri hominem christianum, sed interrogatum, aut silentio rem praeterire posse, aut omnino negare. Quid vero respondebit CHRISTO, absque vllo personarum discrimine, imperanti: λαμψατω το φως υμων εμπροσθεν των ΑΝΘΡΩΠΩΝ; idque propterea, vt vestra probitate, tamquam stimulis excitati, ad idem faciendum inuitentur, MATTH. cap. V. v. 16. Conf. cap. X. v. 32. 33. et I. PET. cap. III. v. 15: ετοιμοι ΑΕΙ προς απολογιαν ΠΑΝΤΙ τω αιτουντι υμας λογον περι της εν υμιν ελπιδος. Notari prae caeteris mere-

* in *manuali controu. L. V. cap. III.*

meretur IOANNIS effatum, in 1. epist. c. III. v. 16: και ημεις οφειλομεν ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ τας ψυχας τιθεναι. Non huc repetam, quae de obligatione hominis ad communem plurium salutem suo ipsius damno promouendam, ius naturae praecipit. Neque ea explicabo singula, quae *statui hominis christiani*, vt talis, conueniunt, atque adeo eum *decent* (§. XXX). Copiose non minus, quam adcurate, de hoc argumento disputant b. FRID. RAPPOLTVS * et b. PHIL. IAC. SPENERVS **. Vnum iam dico: *in statum confessionis* et Martyrii oculos mentemque conuertisse, dum haec scribebat, IOANNEM, ex conditione illius aetatis satis liquet. Nam erant maxime turbulenta persequutionum tempora, quibus animum ad scribendum adpulit, instinctu diuino adflatuque, Apostolus. Tunc plantata sanguine, sanguine crescere debebat ecclesia. Vnius confessionis constantia, prorsus admirabilis, mille genuit alios. Ad CHRISTI autem prouocans exemplum Scriptor sacer, οτι εκεινος υπερ ημων την ψυχην αυτȣ εθηκε, videtur mihi praeprimis ad illam respexisse rem circumstantem, cuius diserte mentionem facit PAVLLVS, 1. ad Timoth. VI. 13: παραγγελλω σοι ενωπιον -- του Χριϛȣ Ιησȣ, τȣ ΜΑΡΤΥΡΗϹΑΝΤΟϹ επι Ποντιȣ Πιλατȣ την καλην ΟΜΟΛΟΓΙΑΝ. Multum quoque adfert lucis PAVLLI exsultans et triumphans oratio: νυν χαιρω εν τοις παθημασι μȣ ΥΠΕΡ ΥΜΩΝ, ad Coloss. I, 24. Verborum optimus interpres est ipse, dum alibi partim *negat*, se eadem ratione, qua vnus Mediator noster, aliorum gratia dolorum onus sustinuisse, 1. ad Corinth. I, 13: μη Παυλος εϛαυρωθη ΥΠΕΡ ΥΜΩΝ; partim *adfirmando* docet, longe diuerso modo ac respectu, eoque triplici, quo satis muneri suo faceret, se pro grege suo subiisse pericula. 1) vt confirmaret doctrinae, a se nunciatae, veritatem, 2. ad Timoth. I, II. 12; porro 2) vt

propria

* *Opp. theol. pag. 374.*

** *in Responsis theol. germ. P. IV. pag. 576.*

propria doctus experientia, tanto efficacius praeberet adflictis solatium, 2 ad Corinth. I, 4. 5; denique 3) vt exemplum sibi caperent plures, *ὥςε τὲς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ, πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μȣ, περισσοτέρως τολμᾷν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν* ad Phil. I, 14. Hoc, quod tertium numeraui, puto valere plurimum ad illuminandam istam IOANNIS loquutionem: ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ *τὰς ψυχὰς τιθέναι.*

## §. XXXIV.

Itaque dolenter deploramus miserrimam illorum sortem, quibus turpis vita honesta morte potior est, qui ita perdite se gerunt, vt periculi tempestatem effugere, aut honoris aura de cursu suo dimoueri malint, quam Seruatoris sui ferre ignominiam. Fuerunt, quos tanto in crimine reprehendit EPIPHANIVS * turpissime eructando dicentes: *ore eiurari posse fidem, nec in eo crimen vllum esse.* Exstiterunt alii, in quos animaduertit CLEMENS ALEXANDRINVS **, qui eo vsque progressi sunt, vt summam laudem, constantiam, vitio dederint confessoribus, *eum existimantes esse sui occisorem, et sibi mortem consciscere, qui per mortem fuerit confessus.*

## §. XXXV.

Quo grauius semper fuit fluctuantis sententiae periculum, eo magis necessariam praestiterunt operam purioris doctrinae vindices, in adhibendis *mediis subsidiisque*, ad prohibendos a defectione adhuc stantes, ad erigendos et confirmandos iam prolapsos, ad incitandos languentes. Hunc ad finem apta fuit *disciplinae*, quae vocatur, *ecclesiasticae seueritas*, quam LIBELLATICOS, THVRIFICATOS, SACRIFICATOS, expertos esse, inter omnes constat. In more etiam positum fuit PATRIBVS, per *litteras encyclicas* suam fratribus significare et probare fidem: *quin etiam litteras, quae a*

 *Patriar-*

* *adu. haereses L. I. cap. XIX. contra* OSSENOS. ** *Stromatum Lib. IV.*

*Patriarchae Constantinopolitano, recens creato, fidei suae confessionem continentes mitti solent, quarum exemplar edidit* LEVNCLAVIVS *in iuris graeco-romani L. VI.* συστατικὰς ἐπιστολὰς *vocari,* GVIL. BEVEREGIVS * obseruat. Nec parum vtilitatis hanc ad rem attulerunt *Diptycha* ecclesiae, et illa quidem **, in quibus eorum descripta fuerunt nomina, qui in fide perseuerantes ex hac vita discesserant. Sed et vitae superstitum, qui nomina sua professi, propria manu subscripserant, tabulis eiusmodi publicis diligenter adsetuata fuit memoria. *Quacunque vero de caussa,* sic verba refero HENRICI DODWELLI *** *mos ille in ecclesiam illatus est, erat sane rei disciplinariae, illius praesertim aetatis, stabiliendae longe vtilissimus. Magnum erat in primis* CONSTANTIAE *praesidium, ingentemque procul dubio incussit apostasiae pudorem; cum manu propria subscriptione, mansurisque monumentis conuinci possent, si qui Christianitati suae renunciassent.*

## §. XXXVI.

Magna vis est conscientiae, quae excitatur tum promissionis vltro factae recordatione, tum supremi actionum nostrarum inuestigatoris vltorisque imploratione. Ex quo sua sponte consequitur, quantum statuendum sit pretium et *Symbolis*, probe cognitis ac perspectis * et religioni

*iure-*

* *annotatt. in canon. Apost. XII.* De epistolis *communicatoriis, tractatoriis,* et quo sensu *confessoriae* adpellari consueuerint, vid. BERNARDINI FERRARII *libri III. de antiquo ecclesiasticarum epistolarum genere.*

** Nam *tria* horum fuisse genera, IO. BONA *rerum liturgic. Lib.* II. *cap.* XII. scriptum reliquit.

*** *dissertat. Cyprian.* V. §. XXIII.

* GODOFR. ARNOLDVS, *Abbildung der ersten Christen,* L. VIII. cap. XX. §. 9. per tria a nato Christo saecula nullum vsquam exstitisse *fidei Symbolum,* communi suffragio receptum, maximopere vrget. Largior illud ipsi haud inuitus. Namque *apostolicae,* ab Apostolorum doctrinis, non personis, ita dictae, neque minus *romanae,* de qua ex instituto scripsit VSSERIVS, *fidei formulae,* prima origo in tenebris latet. Tanta tamen semper fuit PATRVM religio, vt planam fidei confessionem, quae certe sine quadam verborum forma fieri non potest, necessariam indicauerint. Ita compa-

rata

*iureiurando* * firmatae. Vtroque enim modo ita deuinctus sit animus, vt erubescat homo, non stare promissis ac fidem frangere, imo et irati Numinis in se prouocare vindictam; quod vel barbararum gentium moribus nefas habetur, tantum abest, vt christianos deceat homines. Qui verentur, ne hoc pacto mentis *libertas* adimatur, quid sibi velint, ipsi nesciunt. Sane *libertas*, a vaga atque errante *licentia* solicite secernenda, est proprietas entis, *ratione* praediti. E. est facultas, non faciendi quod libet, et quod ab omni ratione alienum est, sed *bene agendi, secundum optimas recteque iudicatas rationes.* Atqui fidei confessio, a nemine prius iure exigitur, quam ipse de veritate iuxta atque momento rei certissime fuerit persuasus (§. XXIII. num. 3.). E. qui argumentis conuictus, formulam confessionis, cui se, per Deum iurans, addicit, veritati diuinae consentaneam cognouit, is suam omnino seruat libertatem. Quum autem fidei confessionem *sinceram* esse oporteat (§. XIX.): patet igitur, quam perfide agant, quam ludant in re seria, qui symbolo cuidam subscribentes, etiam sacramento suam Deo obstringentes fidem, alienam ab re in pectore occultant sententiam. Hu-



rata est, quam *regulam veritatis* adpellat, quamque secus sentientium erroribus constanter opponit IRENAEVS *Lib.* I. *adu. haeres. cap.* XX. quem ad locum conf. IO. ERN. GRABII notationes. Postea antiquum morem diu seruauit ecclesia, quo velut lege cautum fuit, ne quis ad sanctum admitteretur lauacrum, nisi palam facta fidei confessione, etiam ter repetita. Vid. IOS. BINGHAM *origg. eccles. Tom.* IV. *Lib.* XI. *cap.* VII. §. 8. 9. 11. Id vero non sine sontica caussa factum fuisse, eo minus negari potest, quo magis patet, illam consuetudinem diuina auctoritate munitam esse, Act. VIII. 36. 37.

Ritus quoque *confirmationis*, aeque peruetustus, hic suum sibi locum vindicat. Et lubens me adiungo HERMANNO WITSIO, in *Exercit.* III. *in Symb. Apostol.* §. 40. hoc in votis habenti: *optandum foret, idem nostris quoque ecclesiis in vsu esse, vel saltem, vt ii, qui ad sacram admittuntur Synaxin, publice, etiam inspectante et audiente tota ecclesia, profiterentur Dominum.*

* Cuius origines, simul controuersias hac de caussa motas, erudite recensuit IO. GEORG. WALCHIVS, *in introd. in LL. Symbol. L.* II. *cap.* II. Primum eius exemplum exstare video 2. *Chron. cap.* XV. v. 12. 14. 15. Conf. *Nehem.* X. 29.

iusmodi astutia haud ita pr
tannis disceptationi occasione
nunc agitur, aetatis, multoru
BERT BVRNETVS sua iusto
*uem articulorum ecclesiae anglic*
lidi, qui ARII partibus addic
bas. *The case of Arian-Subs*
WATERLAND. * Nos adm
IVSTINI MARTYRIS sente
uersa, ita fluunt: *Nos perliben*
*quoque adimus; cum quidem ill*
*Iurata lingua, animu*
*hac in re vsurpare et facere po*
*delectu habito conscriptos, et pa*
*dixerunt Sacramentum, suae ips*
*triae, et propinquis omnibus pr*
*ruptioni obnoxium non sit, vos p*
*immortalitatem amamus, non pe*
*tes expetimus, ab eo, qui praestu*

§. XX

Quamquam omnia sunt
quam perfidiam, timemus.
date operam, vt, in quem cr
uate fidem, qua nihil vobis e
vel minimis momentis maxin
rum. E. continuo γρηγορειτ
momentum preces adferunt
fiet, Dei beneficio, ινα μη εισελ
XXVI. versu 41.

EXPLICIT D

* Litis historiam exponit laudatus WAL-
CHIVS, *Einleitung in die Religions-*
*Streitigkeiten ausser der Euangelischen*

d ita pridem grauissimae in terris Bri- occasionem dedit. Sub auspicium, quae multorum sibi conflauit inuidiam GIL- sua iusto laxiore *expositione triginta no- siae anglicanae*. Post haec, versuti et cal- bus addicti sunt, maiores dederunt tur- *rian-Subscription considered by* DANIEL Nos admodum delectamur in candida IS sententia, cuius verba ** latine con- *os perlibenter Christum confitentes, mortem quidem illud, quod dictum est:*

*ua, animus sed iniuratus est,*

*facere possemus. Perridiculum vero esset, otos, et pacto vobis obstrictos milites, quod n, suae ipsorum vitae, et parentibus et pa- mnibus praeferre, cum nihil illis, quod cor- sit, vos praebere queatis. Nos vero, qui us, non perferre omnia, vt, quae desideran- ui praestare potest, percipiamus.*

§. XXXVII.

nnia sunt metuenda, tamen nihil magis, nemus. Oro obtestorque vos, fratres! quem creditis, explorate sciatis. Ser- l vobis esto prius et antiquius. Nostis, tis maximas fieri inclinationes tempo- γρηγορειτε. Magnum vero ad salutem adferunt. E. και προσευχετε. Ita certe να μη εισελθητε εις πειρασμον. MATTH. cap.

LICIT DISSERTATIO.

latus WAL- die Religions- Euangelischen Kirche, P. IV. cap. V. pag. 186. seqq.

** pro Christianis Apolog. II. pag. 78.

  